
DE IUBILEO SOCIETATIS IESU AB EA CONDITA ANNO SECULARI 1640. LIBER...

Jean Bourgeois





Assistentiæ Germaniæ

DE IVBILEO SOCIETATIS IESV

AB EA CONDITA ANNO SECVLARI M. D. C. XL.

LIBER PARÆNETICVS AD RR. PP. FFq; SOCIETATIS

Authore IOANNE BOVRGHESIO *eiusdem Societatis*

S. Theologiæ olim Professore.





DVACI,
Typis BARTHOLOMÆI BARDOV.,
ſub ſigno Sancti IGNATIJ.
M. D. C. XXXX.

Cum facultate Superiorum.


O IESV mi dulcissime
Spes suspirantis animæ
Te quærunt pie lacrimæ
Te clamor mentis intimæ
IHS
ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI, P. CLAVDIO
AQVAVIVA, PRÆPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESV.
HIERONYMVS WIERX DD. FACIEBAT.
Hieronymus Wierx fecit et excud. Cum Gratia et Priuilegio. Piermans.

ADMODVM REVERENDO
PATRI IN CHRISTO
P. N. Mutio Vitelescо Societis IESV Prępoſito Generali.

INTER cæteras fœlicitates, quæ R. P. T. cœlitus obtigerunt, & hæc numeranda eſt, quod in eius ſummæ prçfecturæ annum 25. auſpicatiſſimus inſtitutæ Societatis centeſimus, Iubileus inciderit. Quem vniuerſæ Societati non Arietino cornu, aut tubæ clangore, ſed præſtantiſſima epiſtola ſalutarium monitorum pleniſſima, atque indulgentia a S. D. N. impetrata recens indixit ac promulgauit. Hæc me commouit epiſtola, vt quamuis vrgente ſenio, & imminente morte, mors enim ſeni longè abeſſe non poteſt, ad metam prope religioſæ vitæ viderer attigiſſe; tamen ad carceres denuo mihi recurrendum;

A 2 iterumque

iterumque maiore quodam ardore mentis remetiendum omne ſtadium exiſtimarim. Atque vt hoc virtutis & perfectionis ſtudium, cùm in me, tum in cæteris RR. PP. Fratribuſque meis, filijs tuis, Dominis meis, quibus & voce, & corde, & litteris ſeruio, magis etiam accenderem ac confirmarem, hunc libellum paræneticum elucubraui. Nam & celeuſma nauigantibus ac remigantibus alacriter accinitur, & equis quoque currentibus calcar admouetur. Sed, dicat quiſpiam; non eſt hoc tuarum partium, non tui officij, qui priuatus agis. Huic pro me reſpondeat Seneca. Quid ſi militare nolis niſi Imperator aut Tribunus? etiamſi alii primam frontem tenebunt, te ſors inter triarios poſuit; inde voce, exhortatione, exẽplo, animo milita; præciſis quoque manibus ille inuenit in prælio quod partibus conferat, qui ſtat tantum & clamore iuuat: tale quiddam facies; ſi a prima te Reip. parte fortuna ſubmouerit, ſtes tamen, & ſilẽtio iuues: numquam inutilis eſt opera ciuis boni. Nondùm

Aug. 9. confeſſ. 13.

de tranquil. vita.

mihi

mihi R. P. T. beneficio fauces ſunt præcluſæ, nec ereptus e manibus calamus, qui HARMONIAM EUANGELICAM pateris me euulgare, & hunc libellum, quem, vti me facere erat æquiſſimum, ſub tui nominis auſpiciis in lucem emitto, quo gratior vtiliorque noſtris accidat tuo illuſtratus nomine; & ego non ingrati nec immemoris beneficiorum animi ſignificationem aliquam exhibeam. Vtinā veſtris & Societatis precibus apud Deum id aſſequar, ab hac ſcriptione mea, vita moreſque ne diſcordent, ſed facta verbis reſpondeant; ne cæteris exhibito vitæ fonte, ipſe ſiti exareſcam; & tanquam HERMES aliquis lapis milliarius immotus hęream; ſed quam aliis perfectionis viam demonſtro, ipſe conſtanter inſiſtam. Valencenis, ipſa die S. P. N. Sacrâ, 1640.

Admodum R. P. T.

Seruus ac Filius in Christo
Ioannes Bourghesius

INDEX.

vtra-

CAPVT I.

PROLOGVS ADHORTATIO ad Jubilandum è Psalmis.



I quando nos vocationis nostræ minimè pœnitere, sed de ea vehementer gaudere, gratulari, ac gratias agere Christo Domino eius auctori prolixius oportet; hoc anno Iubilei ab instituta Societate centesimo, potissimum oportet: siue præteritos eos annos memoria repetamus, quibus saluator institutam ab se Societatem, per seruum suum Sanctum Ignatium, ab Apostolica Sede confirmari curauit, ac tot deinceps priuilegiis auxit; tot legibus & constitutionibus optimis in vsum receptis stabiliuit, tot Prouinciis ac toto orbe domiciliis dilatauit, tot illustribus sanctitate ac doctrina viris exornauit: siue consequentes plures etiam centesimos cogitatione præoccupemus, quibus perseueraturam, atque in dies amplificandam Societatem speramus, vberesque etiam fælicìore prouentu fructus edituram in Ecclesia; ingens nobis offertur gaudendi ac iubilandi, Deoque gratias agendi materies, quamquam futura non æque certa sunt, ac præterita; de vniuersis tamen beneficiis cælitus in Societatem indultis, & præteritis, & futuris, gratiæ sunt agendæ & habendæ quas animo maxi-

mas capere possumus; verũ non sine interiore lætitia, mentis exultatione ac iubilatione hoc gratitudinis officium exequendum nobis est: nam Dominus quoque noster antequam laudis & gratiarum actionis confessionem deferret æterno patri, exultasse in Spi-
Lu. 10. ritu Sancto dicitur, & Beata Mater, exor-
21. dio cantici sui hoc idem animi sui gaudium prodit, *Magnificat anima mea Dominum, Et ex-*
Lu. 1. *ultauit spiritus meus in Deo salutari meo:* Hæ-
47 breos olim Dominus ex Ægyptiaca seruitute, non sine singulari mentis exultatione liberauit, & nos ex peccati sæculiq; huius captiuitate, non sine lętitia vindicauit; vt in nos ille quoque Dauidis versus optime conue-
Ps. 104. niat, *Eduxit populum suum in exultatione, & ele-*
43. *ctos suos in lætitia* Quotquot igitur huic Iesu Societati nomina dedistis, admodum Reuerendi Patres, fratresque charissimi, *Venite, ex-*
Ps. 94. *ultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro*
1. 2. 3. *præoccupemus faciem eius in confessione*, eâque duplici tum peccatorum nostrorum, indignitatis simul & ingratitudinis nostræ, tum beneficiorum eius, effusæ in nos diuinę clementiæ, ac beneficentię: *& in Psalmis iubilemus ei* laudis, actionis gratiarum, adorationis & supremę latriæ sũmæque lætitię & exultationis. At quamquã parum idoneus ego sum præcentor, tamen omnino silere me non patitur amor erga parẽtem meam Societatem, & aduersus Dominum Iesum, qui me in eam adlegit immerentem, animi gratitudo in communi

communi gaudio vniuersæ Societatis, Nullius iussu vel rogatu, sed pro animi mei deuotione ad hanc celebritatem non aurum, aut argentum, aut gemmas pretiosas, sed velut aliquot pelles aut pilos caprarum, rudem & impolitam hanc offeram scriptionem, aut viduæ instar Euangelicæ in ęrarium cōmune sat aliundè locuples duo conferam minuta, rationum aliquot momenta quæ ad hanc lætitiam accumulandam, agnoscendumque Societatis & instituti bonū pertinēt. Et principio Regij vatis psalmis, versus aliquot cōgerā quibus ad Iubilandum, Deoque gratias agendum vtamur & stimulemur, *Venite exultemus Domino iubilemus Deo salutari* seu Salua- Ps. 94.
tori nostro IESV, ô socij omnes ac comilito- 1.
nes, quotquot in hanc eius Societatem diuino eius beneficio estis cooptati, quotquot huic eius militiæ, sub vexillo Crucis, illo inspirante & vocante nomina dedistis, quotquot Sacramento eius estis auctorati, & obstricti *Venite in Psalmis iubilemus ei*, venite *ado-* v. 6.
remus & procidamus non externo tantum corporis vtroque poplite, verum & mentis, intellectu & voluntate, ex intimis animi sensibus *ploremus ante Deum qui fecit nos, quia ipse est*
Dominus Deus noster, Creator idē ac Redemp- 7.
tor, Societatis auctor & institutor, *nos autem populus eius & oues pascuæ eius* qui ab eo regimur & pascimur, cuius curâ & prouidentiâ viuimus: mixtas gaudio ac mœrore

lacrimas

lacrimas effundamus, *ante Deum, quia ipse est Dominus Deus noster*, omni iure, creationis, naturæ gratiæ, ac voluntariæ seruitutis, dominatum omnem in nos sibi vindicans. An non iubilandi nobis amplissima materies est: quando Societatem non modo ab Apostolica Séde confirmatam, multisque priuilegiis munitam & ornatam conspicimus, verum & centesimum iam annum maturitatis attigisse, viris sanctitate, doctrina, zelo, prudētia, omnique laude conspicuis efflorescentem, lætissimos in orbe Christiano fructus edidisse atque edere contuemur. Tria B. P. S. Ignatius antequam vita migraret, expetierat videre perfecta, exercitia spiritualia auctoritate Apostolica confirmata, confirmatam eadem auctoritate Societatem, denique constitutiones conditas & Societati communicatas. Quorum trium votorum compos effectus est; & nos Dei beneficio tot iam annos eorum fructum magno cum animi nostri sensu capimus vberrimum. Quantum & illud fuit omnium nostrum gaudium, quàm sincerum ac plenum, quo die Societatis fundatores SS. Ignatius & Xauerius a B. M. Gregorio decimo quinto publica ceremonia Sanctorum catalogo sunt adscripti, quo nobis eos palam venerari, colere, atque inuocare licuit: Altaria illis, templa, vota consecrare, omnique eos honore ac cultu religioso celebrare. O dies illos lætissimos, si qui vnquam Societati illuxerunt optatissimi: verum

rum ad hæc gaudia quantus accedere debet cumulus, ex hac anni iam cæpti centesimi solemnitate Iubilei quo SS. D. N. Vrbanus Pontifex Opt. Max. vniuersæ Societati plenissimam indulgentiam peccatorum de thesauris Ecclesię liberaliter ac munificè est elargitus, quo puriores animis in Dei Domini nostri Iesu-Christi Societatis auctoris laudem & actionē gratiarum totos nos profundamus. Iubilemus igitur illi optimo ac largissimo gratiarum omnium largitori, iubilate, ò Socij, quoniam hic est Deus Deus noster Societatis auctor, institutor, conseruator longe beneficentissimus: ipsius factura quoque sumus in bonis operibus illi accepta referenda omnis nostra iustificatio, illi adscribendus omnis noster profectus *Cantate*
Domino canticum nouum amoris innouati, ac Ps. 95. 1.
feruentioris ob noua in nos cumulata beneficia, *Cantate Domino omnis terra* per quam
dispersa Societas, *Cantate Domino & benedici-* 2.
te nomini eius Augustissimo Iesu in quo omnis nostra salus *annuntiate de die in diem salutare eius* partam per eum salutem, Euangelij doctrinam ac gratiam in exteras & remotissi-
mas orbis alterius deferte nationes, *Annuntia-* 3.
te inter gentes gloriam eius in omnibus populis mirabilia eius quoniam magnus Dominus & laudabilis nimis terribilis super omnes Deos. Abolita idolatria atque hæresi debellata verus agnoscatur Dei Filius, Deusque Iesus Christus, hominum Redemptor ac Saluator, itērum

Ps. 97. rum *Cantate Domino canticum nouum quia mi-*
1. *rabilia fecit.* Cantate Domino Iesu triumpha-
le carmen reportatæ victoriç de hostibus no-
stris mundo, carne, dæmone, peccato, morte,
gehenna, & inferno; de stabilito per Euan-
gelium & Crucem Ecclesiç regno, *saluauit*
sibi dextera eius & brachium sanctum eius, opus
fuit summç potentiç, opus summç clementiç
salus hominum per Christum effecta *notum*
2. *fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium*
reuelauit iustitiam suam, etiam per hos infimos
atque extremos Euangelij sui prçcones è So-
cietate toto iam orbe verbi Dei sementem.
deferentes. *Recordatus est misericordiæ suæ &*
3. *veritatis suæ domui Israël*; præstitit abũde pro-
missa: *viderunt omnes termini terræ salutare Dei*
nostri, & Societatem Iesv nomine insignitam,
ab Iesv salutem effectam deprçdicantem.
4. *Iubilate Deo omnis terra; cantate & psallite. Psalli-*
5. *te Domino in Cythara, in Cytharâ & voce psalmi, in*
tubis ductilibus, & in voce tubç corneç. Et voce
& variis instrumentis summam lætitiam cum
alacritate testamini, non cum pigritia & fa-
stidio. *Iubilate in conspectu Regis Domini, mo-*
ueatur mare & plenitudo eius, orbis terrarum &
vniuersi qui habitant in eo. &c.

Ps. 99. Postremo *Iubilate Deo omnis terra, seruite*
Domino in lætitia & introite in conspectu eius in
exultatione &c. *in confessione* peccatorum &
Dei beneficiorum, cum commendatione,
cum laudibus, cum gratiarum actione, cum
Sacro-Sanctæ Euchariste oblatione. *Sua-*

uis

nis, bonus, benignus, beneficus Deus. *Veritas eius* & fidelitas in adimplendis promissis, in rependenda bonis operibus sempiternę glorię mercedę, singularis & eximia est. Splendida planè huius psalmi exhortatio, aliis atque aliis verbis septies repetita ad gratias agendas redemptori. Sed hęc abunde proœmij loco, aliorum quorumdam psalmorum versus epilogo reseruantur.

CAPVT. II.

DE ETYMO IVBILEI. QVID Iubilatio, cui Iubilandum.



DE Iubileo scripserunt prolixè, Nauarrus, Rutilius, Beuzonis Episcopus Lauretanus, & passim Sacræ Scripturæ interpretes in cap. 25. Leuitici: pauca decerpam quę ad pietatis sensum & fructum excitandum pertinent. Dicitur ab Hebręo Iobel, quod Lyranus interpretatur Buccinam. Annus iubileus buccinarum sonitu, & clangore indicebatur; Lexicon Hebræum, Iobel explicat sonitum ex cornu arietino, in memoriam arietis immolati in vicem Isaac, substituti ab Abrahamo. Linguarum periti quidam deducunt a radice Iabal, quod est afferre, adducere, id que cum gaudio, siue eius qui ducit, siue eius qui ducitur; quidam a radice

dice Iobel, Germen, & interpretantur annum germinantem omne bonum, negant a Iubilo latina voce deductum, quę rustica
Varro vox est inconcinna gestientis lætitia, quiritatus vrbanorum est, iubilatus rusticorum. Annus iubileus is est, quem Dominus Isaiam
Lu. 4. 19. interpretans apud ciues suos Nazarenos, annum Domini acceptum, gratum, placentem appellat. Annus nempè lætitiæ, salutis ac redemptionis per Christum partę, & oblatę. Quid sit iubilatio, prolixe ac crebro nos docet Augustinus commentariis in Psalmos.
Ps. 46. 65. 99. Iubilus sonus lætitię, sine verbis, Iubilatio est admiratio gaudij, quæ verbis explicari non potest; Iubilare est in vocem erumpere gaudiorum, quæ non possunt explicari verbis. Item ex abundantia gaudiorum, vbi verba sufficere non possunt, in vocem erumpere; Item gaudium non posse verbis explicare, & tamen voce testari quod corde conceptum est: quod accommodata explicat
Ps. 32. similitudine. Etenim illi quia cantant siue in messe, siue in vinea, siue in aliquo opere feruenti, cum cæperint in verbis canticorum exultare letitia, velut impleti tanta lætitia, vt eam verbis explicare non possint, auertunt se a syllabis verborum, & eunt in sonum iubilationis: iubilus sonus quidam significans cor parturire, quod dicere non potest. Ne miretur quispiam anserem me velut inter olores, ad Iubilei huius Societatis celebritatem, vocem quoque meam conferre

re voluisse; quæ tametsi rustica & inconcinna parum distincta & articulata, non planè sensa mentis ac conceptus exprimat; tamen gaudij cælitus infusi summæque lætitiæ testis atque index existat: Iubilatio est lętitiæ testificatio non disertæ mentis elocutio; noli quęrere verba, quasi explicare possis, vnde Deus delectetur, (aut anima de Deo suo delectetur) in iubilatione canere est, verbis explicare non posse, quod canitur ore Deo; & quem decet ista iubilatio, nisi ineffabilem Deum? ineffabilis enim est, quem fari non potes, & si eum fari non potes, & tamen tacere non debes, quid restat nisi vt iubiles, vt gaudeat cor sine verbis, & immensa latitudo gaudiorum metas non habeat syllabarum. Erit igitur hic libellus iubileus non eloquens ac disertus, conquisitis sententiarum aut verborum floribus exornatus, sed ineffabili mentis gaudio redundans, in Domini sui Saluatoris, tam munifici gratiæ largitoris laudem & gratiarum actionem effusus: quod monet idem sanctus Augustinus; si iubiles Domino iubila, noli iubilationem tuam in alias atque alias res diuidere, sit in vnum Deum collecta, quia nec illa quidem sufficit, & recte, *maior est enim omni laude*. nonnullis interiectis: ad quodcumque me conuertero vilescit mihi adeptum, quamuis accenderit desideratum; cum omnia quæ dum non habeo, amo, cum habuero, contemno, quod bonum me satiabit! laus


Ecclef. 43. 23.

Dei, Amor Dei, eo adepto, quies, lætitia, iubilatio Deus vnus est, cui iubilandum, qui vota ac desideria nostra impleat qui supra spem etiam & expectationem suis nos muneribus cumulet. A quo vno pendemus vti primo principio, & ad quem vnum, vti finem extremum omnia sunt referenda, neque vero tantummodo nobis intuendus estDeus, vti creator ac moderator huius vniuersi, a quo simul cum natura cætera eiusdem gradus & ordinis munera ac dona largissime recepimus, qui nos sustentat, pascit, ac regit, cum cæteris animantibus: sed multo magis vti Saluator ac Redemptor, Auctor gratiæ & quam speramus, fœlicitatis æternæ, qui nos ad finem longe naturæ limites ac fines transgredientem claram sui beatificam visionem destinatos, suis præsidiis fouet, ac promouet. Adorandus Christus Deus homo, Creator, idem & Redemptor, per quem abolito peccato, in gratiam & amicitiam diuinam restituti sumus, Idem Religiosæ Societatis Iesu, per seruum suum Sanctum Ignatium, primarius Auctor, Institutor, Protector, Promotor, Tutor, Patronus, Princeps, parensque optimus in suos indulgentissimus ac munificentissimus, ad quem omnis nostra laus & Iubilatio referenda, *Ego autem in Domino gaudebo exultabo in Deo Iesu meo, Deus Dominus fortitudo mea.* Hoc gaudium non est tenue, vulgare persusorium vtSeneca loquitur inuecticium quod fundamento caret

Abacuc 3. 18.

caret; solidum est & quod plus pateat introrsus, quod domi nascatur, sit intra teipsum, quod nunquam deficiat, cum semel vnde petatur inueneris, non a se ipso vt ille Stoicè; sed a Deo suo. Cæteræ hilaritates non implent pectus sed frontem remittunt, leues sunt & mox euanescunt. Animus debet alacer & fidens non in seipso, sed Deo super omnia creata tectus, Deo beatori se submittens atque inhærens. *Ep. 23.*

Ad hoc gaudiũ diuinus Apostolus nos adhortatur; gaudete in Domino semper iterũ dico gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus Dominus prope est &c. Et aliàs: Implemini Spiritu Sancto loquentes vobismetipsis, in psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo. *Ad Philip. 4. 4. Ad Ephes. 5. 19. 20.*



CAP-

CAPVT III.

DE IVBILEO HÆBREORVM *Mosaico & annis sabbathicis*



HÆBREI in beneficio creationis celebrando potissimam semper operam posuisse videntur, & inde diem septimam, qua Deus requieuit ab omni opere quod patrarat in honore præcipuo & cultu religionis habuisse; quamquam non minoris potentiæ ac bonitatis opus existat vniuersi conseruatio ac gubernatio, quam eiusdem prima creatio ac molitio, & si cessarit Deus nouas rerum species condere die septimo, nunquam tamen cessauit, nec modo cessat conditos conseruare, & gubernare, vt Dominus illis aliquando insinuauit, *Pater meus*
Ioa. 5. 17. *vsque modo operatur & ego operor* cæterum *benedixit Deus diei septimo & sanctificauit illum*,
Gen. 2. 3. segregauit ab vsu prophano, & cultui suo atque honori consecrauit, vt esset dies contemplationis diuinorum operum, dies laudis & actionis gratiarum, dies reparationis virium hominibus & iumentis addictus quorum Deus clementissimus curam gerere non putauit indignum sua Maiestate, *Memento vt*
Exod. 25. 12. *diem sabbathi sanctifices*. De neomeniis & mense septimo nihil dicam, de anno sabbathico cuius institutio prior & antiquior videtur fuisse

fuiſſe, quam iubilei; lex ita habet in Exodo *ſex annis ſeminabis terram tuam, & congregabis fruges eius, Anno autem ſeptimo, dimittes eam, & requieſcere facies, vt comedant pauperes populi tui, & quicquid reſiduum fuerit, edent beſtiæ agri, ita facies in vinea & oliueto tuo*, quæ plenius repetuntur in Leuitico: oſtendit Dominus ſibi curæ eſſe quietem terræ ipſius, vt intelligerent Iudęi tanto magis ſibi ſeruorum & ancillarum quieti conſulendum quando prouidentia ſua non modo brutis animantibus diem quietis & ipſi terræ annum requietionis aſſignarit; ſabbathum terrę quidam in eo collocant, quod non liceret fructus ex ea colligere, liceret tamen arare & ſeminare, nam quid pauperes, inquit, Auguſtinus, colligerent ſi nihil ſeminatum fuerit? ſed rectius in eo ſabbathum & quies terræ ſtatuitur, quod nec colebatur ac præſcindebatur arando, nec ſeminabatur nec metebatur: expreſſè habetur in Leuitico. *Agrum non ſeres, & vineam non plantabis.* Meſſis expectanda non erat quam ſementis non anteceſſerat, quæ ſponte ferebat humus, ex deciduis granis, vetuerat Dominus ne meterentur, ſed pauperibus relinquerentur adiecceratque *dabo vobis benedictionem anno ſexto, & faciet fructus trium annorum* per ſynecdochen, ex fructibus anni ſexti veſcebantur in eius fine, toto anno ſeptimo, & initio octaui, Terra igitur ſeminanda non erat nec metēda, eademque ratio erat vinea-

Ex. 23. 10.

25. 2.

in Exo. 4. 23.

21.

rum, oliuetorum, pomariorum Quod pauperum gratiâ præceperat Deus Hæbreis, id sponte Christiana charitas & liberalitas præstare debet non modo septimo, sed ne vllo vnquam anno illis alimenta desint. Quod ad personas; Hæbrei quacumque ex causa libertatem amisissent, eam anno septimo recuperabant ita Deus in exodo præceperat, *si emeris seruum Hæbreum sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber*, qui septimus annus, non numerabatur ab emptione serui, sed a præteritis annis, idemque erat constans immutabilis. Alienigenis annus septimus non conferebat libertatem, sed iure hæreditario transmittebantur ad posteros, aut venditione distrahebantur. Quoad debita & æs alienum, illud quoque anno septimo relaxabatur, & ius erat nouarum tabularum ex diuina lege Deuteronomij, quia annus remissionis est Domini, *a peregrino & aduena exiges,*
15. 1. *ciuem & propinquum repetendi non habebis potestatem*, quod minime intelligendum de rebus commodatis depositis, aut furto sublatis, hec enim restitutioni perpetuo erant obnoxia, sed de debitis alia ratione contractis, & maxime ex mutuo acceptis, in quo dando ne tardiores sint ditiores appropinquante remissionis anno monentur, *ne clamet contra te ad Dominum & fiat tibi in peccatum.* Christiana charitas non tantum ad populares eiusdem gentis homines, verum etiam ad omnes proximos eâdem naturæ Societate coniun-

coniunctos, cum opus est porrigere se debet. Postremo indicta erat lectio legis, in solemnitate tabernaculorum fiebatque a summo Pontifice vt Iosephus tradit, ea potissimum de causa, vt anni septimi iura memoriæ commendarentur, neque potentiorum auaritia negligerentur. Iam de Iubileo sunt viri docti & eruditi qui acriter disputant an annis 49. definiendus fuerit; an ipse quinquagesimus consequens censendus Iubileus: vt scripturæ verba videntur indicare. *Numerabis tibi septem hebdomadas annorum idest septies septem, quæ simul faciunt annos 46.* & subdit: *sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ: ipse est enim Iubileus.* Et rursus: *reuertetur homo ad possessionem suam, & vnusquisque rediet ad familiam pristinam, quia Iubileus est, & quinquagesimus annus.* Videtur Deus Opt. Max. eâdem ratione Iubileos annos instituisse, qua sabbathum & sabbathicos annos: vt quemadmodum dies septimus hominum quieti, annus septimus agrorum quieti; ita septies septimus possessionum alienatarum restitutioni foret attribvtus. Tum non est credibile duobus continuis annis a cultura cessatum fuisse, sabbathico & sequenti Iubileo; aut post vnius aut duorum annorum sementem subinde sabbathicum annum quietis intercessisse. Opponunt alij expressa scripturæ verba: sanctificabisque annum quinquagesimum, vt apparet non quadragesimum nonum; sed

14. Antiq. ca. vlt.

Leuit. 25. 8. 9. 10.

Petauius l. 9. c. 27.

Salian. Serrar. Bonfrer

quinquagesimum fuisse Iubileum. Tum auctoritatem Philonis & Iosephi: denique rationem. Si Iubileus idem foret cum sabbathico nihil fuisset necesse repeti praeceptum de Iubileo: non seretis neque metetis: quod de sabbathico iam erat praeceptum. vt vt sit, priuilegia Iubilei fuere duo praecipua: vnum recuperatio praediorum abalienatorum. Si quis vrgente penuria vendiderat agrum poterat eum quocumque tempore redimere, pretio restituto, cumputatis fructibus, ex quo tempore venditus fuerat, quod si non posset, emptor manebat Dominus, vsque ad annum Iubilei, in quo sine vllo praetio ager redibat ad pauperem, licet multae intermediae venditiones interuenissent, Itaque, consulebatur ex lege pauperibus, quae erat vna causa legis. Altera ne tribus, & familię quibus ab initio possessiones erant sorte distributae, confunderentur. Circa venditionem domorum aliud ius erat quod in Leuitico exprimitur. Alterum priuilegium circa libertatem seruorum Haebreorum, qui liberari poterant anno septimo, sed quia contingebat, vt seruus vxorem acciperet ab hero, & gigneret filios, & filias, si is anno septimo liberari vellet, vxor eius & liberi remanebant apud Dominum, ipse autem exibat solus; sin autem cum vxore & filius liberari vellet, annus ei quinquagesimus expectandus erat, & quidem anno septimo aure perforatâ manebat seruus, eaque ipsa seruitus erat instar pretij

tij quo vxorem ſuam, & liberos redimebat. His addunt exules in patriam reuerti potuiſſe, & carceri mancipatos fuiſſe liberatos anno Iubilei; ſed hoc poſtremum non expreſſit ſcriptura. Vt vt ſit anni ſabbathici & iubilei, in deſerto non ſunt obſeruati, cum nondum poſſeſſiones haberent, adepta terra promiſſa maligne ſunt obſeruati, ob auaritiam potentiorum, legis neglectum, bella, crebraſque ſub vicinis populis, ſeruitutes: denique a captiuitate Babylonica planè neglecti, quædam tamen obſeruatio vſque ad Chriſtum in eius gratiam permanſit vt ſciretur, quæ ad Iudam & Dauidem poſſeſſiones & familiæ pertinerent, nunc penitus abrogati ſunt, vti cæteræ leges eiuſmodi iudiciales, eius populi propriæ, quę non conueniebant Eccleſiæ per vniuerſum orbem dilatatæ ac diffuſę, in varias gentes ac nationes ingeniis ac moribus diuerſiſſimas, quibus hoc iugum Moſaicum imponere fuiſſet difficillimum, adeoque impoſſibile. *Omnia in figura contingebant illis.* Lex quidem ſpiritualis eſt deſignãs & continens fructum ſpiritalem animarum alteriuſq; vitę, ſed quem Iudęi non capientes in ſola conſtiterunt vmbra, ac fere ad hanc vitam præſentem dumtaxat, ac terrena corporis temporaliaque bona, carnali ſenſu legem Moſaicam retulerunt, inde & Meſſiam temporaneum Regem ſpe & expectatione ſua ſibi finxerunt, verum ſaluatorem animarum & auctorem ſempiternę fœlicitatis non

Naua. notab. 2.

agnouerunt: Quare parum illis contulit hæc Iubilei, & annorum sabbaticorum obseruatio. Nobis vero Christiana imbutis fide ac religione nihil contulerint hæc Iubilei priuilegia: non prius de possessionum restitutione, quibus totus mundus & patria exilium est; quibus vna cordi est cœlestis hæreditas; nulla hîc in terris certa sedes; pro facultatibus & opibus amica paupertas, de quâ & profanus Philosophus: Honesta res læta paupertas; illa vero non est paupertas si læta est. Non posterius de recuperatione libertatis & excussa seruitute: nam hæc, etsi durissima, nihil officit Christianæ libertati, ingenuitati, ac nobilitati. *seruus vocatus es*, inquit Apostolus, *non sit tibi curæ; sed & si potes fieri liber magis vtere.* Qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini. Errat (vtar auctore qui mihi nunc in manibus est) si quis existimat seruitutem in totum hominem descendere; pars huius melior excepta est; corpora obnoxia sunt & adscripta Dominis: mens quidem sui iuris, quæ adeo libera & vaga est, vt nec ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quo minus impetu suo vtatur, & ingentia agat, & in infinitum comes cœlestibus exeat. Non disputo de sensu Senecæ: mentem infinitatis, æternitatis, immensitatis, deitatis capacem intelligo quę nullius rei creatæ, sed vnius Dei conditoris sui seruituti sit obnoxia. Ea nobis optanda & per eius gratiam asserenda libertas

libertas, ne cui vitio, aut animi perturbationi seruiamus; ne simus opum, honorum, voluptatum, corporisue nostri fœda mancipia. Tum quod attinet ad nouas debitorum tabulas, vt a Dei clementia speramus plenam indulgentiam & relaxanda nobis omnia delicta, ita & proximis, si forte nobis sint obstricti, omnes ex animo remittamus offensiones, offensionumque vmbras ac suspiciones: *supportantes inuicem & donantes vobismet ipsis si quis aduersus aliquem habet querelam; sicut & Dominus donauit vobis; ita & vos.* Coloss. 3. 13.

CAPVT IIII.

DE IVBILEO CHRISTIANO, Ecclesiastico & sabbatismo sempiterno.




QVantum anima præstat corpori, gratia naturæ, æternitas tempori, cælum terre, beatitudo sempiterna temporaneæ fœlicitati; tantum & amplius præbeneficio creationis æstimandum nobis est beneficium redemptionis humanæ per Christum Dominum comparatæ; tantum & amplius Mosaico Iubileo antecellit Iubileus Christianus, qui non consistit in recuperatione terrenarum possessionum, adeptione libertatis

libertatis, Extinctione debitorum, sed in remissione peccatorum, liberatione a seruitute peccati, mortis æternæ, & diaboli tyrannide, recuperatione Dei gratiæ & amicitiæ, Adoptione filiorum Dei, cum iure ad cœlestem hæreditatem, quam gratiæ adoptionem primus parens Adamus interuerterat primæuo communiq; peccato; Christus Dominus suo merito redintegrauit ac cum fænore restituit. Quæ spiritualia, cælestia, sempiterna, diuina bona longè terrenis, corporeis, caducis, creatis anteponenda sunt. Spirituale sabbathum in sancta quadam ac mystica quiete consistit, cum vetus homo repressa praua concupiscentia, consepultus Christo ad vitam gratiæ renouatur spiritalem, atque in ijs actionibus, quæ Christianæ
l. 4. in pietati conueniunt, se exercet, ab alis noxiis
Ioan. c. inutilibus secularibus, feriatus. Cæleste sab-
51. bathum est, vt ait D. Cyrillus in locum Apostoli tractans. *Itaque relinquitur sabbathis-*
Hebreos 4. 9. *mus populo Dei.* vita illa in qua omnibus bonis cum Christo viuentes fruemur, peccato radicitus extirpato secundum illud *non erit ibi leo, nec praua bestia illuc ascendet,*
Isai. 35 sed erit ibi via pura, & via sancta vocabitur, omnis cui bona mens SS. in Dei visione
Heb. 4. adipiscitur eam, *festinemus ingredi in illam requiem,* populus Hæbreus non erat verè populus Dei, preterquam in vmbra & figura, populus Dei populus est Christianus, Christi Domini beneficio, ac gratia ius habens hæredita-

hæreditatis æternæ, Totum tempus quo Dominus in terris versatus est, & opus expleuit humanæ redemptionis, dici potest annus Iubileus; Annus remissionis, triennium maximè prædicationis Euangelicæ, & extremus dies Passionis, quo redemptioni supremam manum imposuit: de quo anno acceptabili, locum Isaiæ 61. ipse apud suos populares Nazarenos interpretatus est, *Spiritus Domini super me*, Totum quoque tempus vitæ nostræ, quo licet nobis vti oblato per Christum beneficio redemptionis, quo remissionem peccatorum, gratiæ & amicitiæ diuinæ recuperationem, pacem ac tranquilitatem, veram animi libertatem per Christum recuperare licet, debitas peccatis pœnas minuere & extinguere, dici quoque potest Iubileus, annus remissionis de quo S. Paulus, *Ecce nũc tẽpus acceptabile, ecce nunc dies salutis* si quis habendam censeat ratione numeri 50. quem videtur Deus compluribus mysteriis condecorasse, atque illi dignitatem attribuere Iubilei; is secum reputet, quemadmodum Hæbrei post suum pascha, immolationem & manducationem Agni typici in Ramatha, quinquagesimo die venerunt ad montem Dei Sinai, inibique legem a Deo acceperunt: Ita Apostolos, & qui cum eis erant fideles post Pascha nouum, immolationem saluatoris, accepisse plenitudinem Spiritus Sancti, & Euangelicam legem scriptam, non in tabulis lapideis, sed cordibus: quæ plenitudo

2. Corinth. 6. 2.



gratiæ

gratiæ & Spiritus Sancti dici potest Iubilæus, eaque de causa nouum Festum Pentecostes institutum est; cuius mentio fieri videtur in Actis. Festinabat Paulus, si possibile sibi esset vt diem Pentecostes faceret Ierosolymis.

Act.20.16. Quamdiu durat hæc vita mortalis, agitur hoc Festum Pentecostes, & Dominus è cœlo Spiritum Sanctum effundit in animos fidelium rite comparatos, merito passionis suæ. Quare durat semper Iubilæus qui denique adiunctus, sabbatismo sempiterno, plene compleatur, cum in cæleste regnum ad domicilium traducti fuerimus; ibi erit plena remissio, plena libertas, plena pax, quies, tranquillitas, iucunditas, plena & integra felicitas.

Mysterium missionis Spiritus Sancti in Apostolos, ita peractum est, vt quotidie tamen agatur, & munificentiam Saluatoris eius Sancti Spiritus donorum largitoris hodieque fideles experiantur.

in Psa. 136. Quærebant apud S. Augusti. pagani, & hoc ipsum quærere poterant carnales Iudei, exponite rationem, quare venit Christus? & quid profuit Christus humano generi? Nonne ex quo venit Christus, peiora sunt in rebus humanis quam fuerunt antea? nimirum illi nullam nisi præsentem vitam agnoscebant, inhærentes terræ, cœlum non suspiciebant, toti in terrenis ac caducis defixi rebus, de cœlestibus, æternis futu r que altera vita non cogitabant, Temporis &

tetrę

terræ filij, non cæli & æternitatis alumni. Christus ad hęc terrena bona vitę mortalis nihiladmodum contulit; saluator est animarum magis, quam corporum; auctor & largitor spiritualium animæ bonorum, quæ in omnem perdurent æternitatem: inchoatæ redemptionis eius fructu nunc fruimur, liberati a seruitute peccati & mortis ęternæ: perfectâ potiemur in cœlis cum Dei clara ac beatificâ visione potiemur ac maxime cum gloriosi corporis accesserit exsuscitatio, cum vndequaque beata corporis & animæ perfruemur æternitate.

Quia vero plerique mortales torpidi sunt in negotio suæ salutis, & oblato per Christum Redemptionis beneficio negligunt vti, diuina prouidentia institutus est a Romanis Pontificibus Christi Vicariis, Ecclesiasticus Iubileus, cum prouiderunt vti de thesauro meritorum Christi Domini, satisfactionumque Beatæ Matris & Sanctorum omnium, cuius thesauri Ecclesiæ inexhausti penes eos est dispensatio, proponerentur indulgentiæ plenissimę, quibus omnis pœna peccatis debita condonaretur, & in baptismalem innocentiam, deique gratiam pristinam, etiam cum fœnore & augmento, quisque fidelis eis vtens indulgentiis restitueretur. Est ergo Iubileus Christianus, Ecclesiasticus, potiori longe ratione quam ille Mosaicus; annus satisfactionis, remissionis, solutionis, pacis, indulgentiæ, donationis, benedictionis,

nis, redemptionis, annus sacer, benignitatis Dei, magnus, purus, firmus, fertilis, gaudij; germinis, coronę, requietis, plenus messis ad redimendum datus, omnem annum superans, fœcundus vbertatis, annus antiquus, annus vitæ, annus Dei, Domini acceptus; quæ qui volet epitheta, apud Benzonium explicata reperiet; Ea vero tanto magis nostro conueniunt quam Mosaico, quanto vti dixi, animus corpori, gratia naturę, cœlum terræ, ęternitas tempori pręcellit: sunt qui primam institutionem Iubilei tribuant Bonifacio octauo, factam anno 1300. iuxta bullam antiquorum, 6. decretalium, si tamen verba bullę attendantur, Bonifacius octauus non tam instituit, quam antiquitus institutum redegit in ordinem; certisque cęremonijs auxit, & honestauit, nam ab antiquissimis temporibus ad Apostolorum sepulcra, ac limina, consuerant adire fideles indulgentiarum causa idque potissimum anno seculari; seculum hominis etiam maximè longęui ętas existimatur, vt ludi seculares centesimo exhibebantur anno: ita tum maximè pię ac sanctæ peregrinationes suscipiebantur. Quare hunc annum Bonifacius VIII. pręscripsit quod iam in more positus esset, quodq; periodus humanę vitæ centesimum vt dixi fere non excedat annum. Adde duplex quinquagesimus spiritali Iubileo videretur præstituendus, quod spiritualia bona duplo nimirum excedant temporalia. Deinde

inde Clemens VI. Pontifex, indulgenter agens cum fidelibus, eo quod pauci centesimum attingerent, reuocauit ad quinquagesimum, qui numerus symbolum est remissionis. Mox ex eadem causa Vrbanus VI. ad trigesimum tertium, qui numerus creditur annorum vitæ Christi Domini. Denique Paulus secundus ad vigesimum quintum consulens horum imbecillitati, & vt bis fideles in vita possent indulgentiam consequi. Hanc S. D. N. Vrbanus VIII. pro sua erga Societatem eximia beneuolentia anno eius conditæ & a Sede Apostolica confirmatæ centesimo plenissimam vniuersis hominibus Societatis etiam Nouitiis indulsit, quę magna pars est huiusce nostri Iubilei. Cum ad Indulgentiam tria requirantur, auctoritas dantis, causę pietas, & accipientis debita dispositio, ne hęc postrema desit conditio, cum de prioribus ambigi non possit, elaborandum est: tum vero apparet non sine causa, nec sine exemplo siue veteris synagogę, siue Romanę Ecclesię hanc Iubilei solemnitatem Adm. R. P. N. Mutium Prępositum Societatis alumnis ac filiis indixisse.

CAP. V.

CAPUT V.

DE TRIPLICI FINE, FRUCTU & causa indictâ Societate Iubilei.

Ac primum de gratiis Deo optimo moximo referendis.



ON est obscurum quibus de causis indicta sit a Præposito Generali R. P. N. Mutio solemnitas anni secularis Iubilei, inprimis ad agendas diuino numini gratias, de instituta & confirmata à Sede Apostolica Societate, & hoc ipso primo seculo non mediocriter aucta, & stabilita per vniuersum orbé, ad Dei gloriam plurimarũque salutem animarum, deinde vt seipsam Societas innouet spiritu ac zelo, & ad omne studium perfectionis religiosæ vehementius incitet, atque inflammet: vt porro pergat flagrare diuinę charitatis flammis, ac zelo diuinæ glorię amplificandę, & proximorum salutis promouendæ; denique vt plenariam à SS. D· N. peccatorum indulgentiam, quæ ad hunc vtrumque finem expetita est, consequantur; Ex qua quidem indulgentia complures alij fructus oriuntur, suo loco atque ordine breuiter explicandi.

Quo

Quoad primam causam ingratitudinis euitandæ; scimus Hæbreis indictas à Deo fuisse solemnitates annuas, Paschatis, Pentecostes, & tabernaculorum; meminissent eductos se de Æygptiaca seruitute quam miseri sub Pharaonis tyrannide seruierant, accepisse se legem in monte Sinài, per Mosem cœlitus delatam ac marmoreis tabulis consignatam; maiores suos in deserto per annos quadraginta sub tentoriis ac tabernaculis vitam egisse, antequam in terram promissam Palestinam inducerentur, quanto igitur potiori ratione reposcet à nobis Deus memoriam assiduam beneficiorum suorum, gratię redemptionis, quibus nos à cacodemonis tyrannide, à peccati seruitute, gehennæ & mortis æternę faucibus eripuit, & in amicorum ac filiorum Dei libertatem dignitatéque vindicauit, quibus eisdem gratiæ pręsidiis nos benignè fouet, & ad cælestis regni ac beatę sempiternæque vitę possessionem inducere ac prouehere porro pergit. Quam animi grati significationē non exiget ab iis, quos à sæculo in barathrū pręcipites agente, in hanc Religosam familiam suam euocauit; in eaque tam patienter, tot annos tolerauit, tot insuper gratiis ac donis spiritualibus auxit & locupletauit? *ipse est qui dilexit nos & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo* qui pęnitentię Sacramentum instituit, pretiosissimum diuini cruoris sui balneum, quo animæ nostrę purgarentur immundę ę- *Apoc. 1. 5.*

grę & languentes percurarētur, in qua idem ipse conuiuium & conuiua, cibus & conuescens, medicina & medicus, offerens & oblatio, Sacramentum & sacrificium, solatium omne mortalis huius ęrumnosę vitę ac subsidium singulare peregrinationis laboriosæ ęquè ac periculosæ. Quantam nobis opportunitatem diuina hæc Sacramenta cum sensu pietatis obeundi præbeat religiosus status, a seculi curis liber & expeditus, nemo nescit; tantum nos ipsi nobis ne desimus. Apud homines Societatis in more positum est vt sese breuibus hisce dictis consalutent, Deo gratias, ad vitam æternam; quę vtinam non ore tenus, labiis extimis, sed ex intimis pręcordiis proferamus, de priore dicto, S. Aug. ad Marcellinum, quid melius & animo geramus & ore promamus, & calamo explanemus, quam Deo gratias, hoc nihil dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, (alias grandius) nec agi fructuosius potest; cuius dicti si quęratur auctor; Diuus Bonauentura Deiparę Virgini id adscribit: cum adhuc puellula versaretur in templo, ne forte in salutatione sua Virgo a Dei laudibus tolleretur, si quis eam salutabat illi pro salutatione sua, Deo gratias respondebat, & Diuus Antoninus; Virgo, ait cum vocabatur respondere solita erat Deo gratias; vt illud modicum verbum non esset sine laude Dei, Ab aliis, eius dicti creditur auctor Apostolus Paulus qui id habet in epistola ad Romanos

Epist. c. 3. Mc.

4 p. S. 15. t. 5. sc. 2.

manos. Iterum in priore ad Corinthios & in posteriore tertio repetitum, id agente & prouidente Spiritu Sancto, vt per Apostolum Paulum Ecclesię traderetur, & sancto Augustino magnifice commodaretur qui duo pręcipui gratię vindices atque assertores extitere: videntur Donatistæ e quibus orti Pelagiani, illud amouere, eiusque loco ac vice, Deo laudes substituere voluisse vt habet S. Augustinus in Psal. 132. At præferendum est Deogratias nam includit illud Dei laudes, non vice versa. Multos laudamus sine gratiarum actione, qui nihil in nos beneficii contulerunt, qui gratias agit simul laudat & beneficium & benefactorem. Quamquam reipsa laus omnis Dei summi benefactoris, cuius nullum non est eximium in nos beneficium, gratiarum actio est, & illud ad vitam ęternam, non sine quadam Dei laude & actione gratiarum pronuntiatur, qui ad eam vitam ęternam nos sua bonitate condidit & vocauit, ad eamque suis meritis aditum patefecit: quamcunque laudem Dei proferas, Deo gratias agis, qui & mentem & os quo eum laudes attribuit; omnis deprædicatio diuinę beneficentię, gratiarum actio est. Laus igitur Dei a corde & ore Christiano recedere non debet. Hoc vtroque dicto memoriã refricamus, tum auctoris beneficii vocationis Religiosæ, quo vix vllum maius nobis obtingere potuit, tum quis eiusdem vocationis scopus sit & finis extremus, vita ac beatitudo *Aug. in Ps. 57.*

titudo sempiterna; ne igitur ingratissimi simus, admonemur. Nullus est dies quo non in sacris mysteriis sursum cor habere iubeamur, & gratias agere Domino Deo nostro: id vere dignum & iustum esse vna cum Sacerdote, qui personam Ecclesiæ sustinet, profiteri nos æquissimum est: Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum, salutis & omnium bonorum auctorem, naturæ, gratiæ & vt speramus aliquando gloriæ largitorem, Societatis huius minimæ institutorem, rectorem, tutorem ac protectorem, qui nos in eam immerentes adlegit, & cooptauit, sed & illæ iunctissimæ causæ sunt agendi gratias Deo, quod ipse Dominus, ipse Sanctus, ipse Pater, ipse omnipotens, æternus, immensus, infinitus Deus noster Iesus Christus, Saluator noster, benedicta sit Sancta & Indiuidua Trinitas, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Dicat nunc Israel* vir quisque spiritualis Deum contemplans, *quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Dicat nunc*
Ps.117. *domus Aaron*, Præpositi nostri Ignatij, *quoniã*
V.1.2. *in sæculum misericordia eius. Dicant nunc omnes*
3. 4. *qui timent Dominum, quoniam in sæculum miseri-*
Ps. 85. *cordia eius. Confitebor tibi Domine Deus meus in*
V.12.13 *toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æter-*
num: Quia misericordia tuâ magna est super me:

&

& eruisti animam meam ex inferno inferiori. Non ex mundo tantum qui infernus est superior, sed ex ipso barathro gehennæ in quam me præcipitem agebant flagitia vt nuper admonuit nos S. August. Iubilationem Domino Deo tribuendam qui solus est ineffabilis. Ita obseruare est in scripturis confessionem laudis nunquam homini, sed soli Deo fieri, cuius ea ratio redditur, quod confessio siue laudis, siue fidei, siue peccatorum, confessio est veritatis, id indicante vocabulo ipso confessionis, at in prædicandis Dei laudibus, & virtutibus non potest laudator vnquam modum ac veritatis regulam excedere, cum sint immensę & cogitationem omnem nostram exsuperent, at in hominum laudibus sæpe veritas exceditur, & adulatio potius quam confessio earum virtutum deprecatio est. Igitur confessio laudis & Iubilatio vni Deo Iesu-Christo tribuatur, *glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, superualebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius, Benedicentes Dominum exaltate eum quantum potestis, maior enim est omni laude, Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis non enim comprehendetis.* Cum laudatis Deum toti laudate, laudet vox cantet vita, cantent facta, Deum toti laudate. Grati estote; verbum Christi habitet in vobis, abundanter in omni sapientia docentes ac commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis & canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Om-

Ecclef. 43. 32. 33. 34.

Coloss. 3. V. 16. 17. ne quodcunque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesv-Christi gratias agentes Deo & Patri per ipsum.

CAPVT VI.

DE ALTERO FINE ET CAVSA *Iubilei vt seipsam Societas innouet ad studium perfectionis extimulet.*



Vod priuati quique Societatis Religiosi, bis quot annis repetita renouatione votorum, assequi nituntur, vt spiritalem feruorem suum tueantur, & augeant, id videtur Societas vniuersa, Iubilei celebratione prætendere, vt seipsam spiritu renouet atque impellat ad perfectionis ardentius desiderium, incensumque zelum, tum maioris Dei gloriæ amplificandæ, tum suæ & proximorum salutis & perfectionis omni studio procurandæ. Indixerat Iubileum annum Deus Hæbreis vt si forte suos agros abalienassent penuria pressi, adueniene Iubilteo, eos recuperarent & absque pretio in pristinam possessionem postliminio restituerentur. Si quid forte Societas spiritalium bonorum culpa & negligentia nostra deperdidit; si quid pristini zeli & feruoris imminutum est, quo minus in Dei nostri ac terræ

terræ viuentium possessione iucundissima versemur, adest Iubileus annus quo damnum illud omne sarciatur quo peractis rite exercitiis primęuus feruor innouetur, *reuertatur homo ad possessionem suam & vnusquisque redeat ad familiam pristinam, quia Iubileus est* Leuit. 25. 10.
Quam rem prolixe & diserte persequitur R. P. N. Mutius postrema epistola que in omnium manibus est: Renouatio spiritus pręcipue constare videtur, oratione, & mortificatione passionũ, quæ pro statu huius naturę corruptæ repullulant, & excisæ renascuntur; Ad orationem pertinet Aquilæ similitudo, quam ex Sancto Augustino P. N. inducit, *Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua*, siue Ps. 102. 3.
dum aduncitatem nimiam rostri quâ cibum capere prohibetur, ad petram allidens retundit, atque extenuat; siue dum pennis maris aqua mersis, & ad solis radios expositis aut igne elementari concrematis, veteribus exuitur ac nouis superuestitur; siue aliâ ratione iuuenescit, singulis decenniis ad annum centesimum: vnde Adagium: Aquilæ senecta, Corydi iuuenta; est enim omnium volucrum viuacissima. Ad mortificationem adfertur similitudo serpentis per angustum foramen vetustam pellem exuentis, de qua *in Ps.*
idem S, Aug. Ad hoc valet astutia serpentis 57.
adquam nos imitandam Dominus adhortatur, Ait enim estote astuti sicut serpentes, offer omnia membra tua percutienti, dummodo caput in te serues, caput viri Christus

ſymbolum rectæ intentionis qua Chriſtus rebus omnibus antefertur, amoris Chriſti ſupra res omnes, ſed grauat quaſi pondus, tunica quædam, & quaſi ſenecta veteris hominis, Audi Apoſtolum dicentem *exuentes vos veterem hominem & induentes nouum*, quid facit ſerpens vt exuat veterem tunicam? Coarctat ſe per foramen anguſtum. Exuendæ non ſemel, ſed prope quotidie Adami veteris exuuiæ, adeo ille nobis innatus hæret. Notatur & alia ſerpentis aſtutia, ab inſtituto non aliena; cum frigidæ ſit naturæ & ſeneſcens viſum amittat crebro ſe radiis ſolis exponit vt inde calorē hauriat & viſum acuat. Item quod cum e latibulo prodit, ad aquam deponit venenum. Hoc ante omnia præſtandum vt ſi quid ineſt conſcientiæ noxii ac lætiferi veneni, id penitus eiiciatur animuſque purus, ac multo lacrymarum imbre mundatus ſolis iuſtitiæ radiis offeratur ad roborandos & acuendos interiores oculos; aut inſtar accipitris dum Auſtro perflante concaleſcit, vetereſque plumas exuit, ac nouas induit, denuo iuueneſcat afflatus aura Spiritus Sancti; Aut denique inſtar Ceruorum quos cornua grauant, pro annorum numero multifida, depoſito hoc omni curarum externarum ſenſuumque onere multiplici, Animus quæ retro ſunt obliuiſcens, in anteriora ſemper progredi contendat concitato curſu deſideriorum ad perfectionis metam anhelans.

Epiph. hæreſ. 37.

Sanè

Sane regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud; quantum tibi vim intuleris tantum proficies. Nihil eſt quod non expugnet pertinax opera, intenta ac diligens cura. Robora in rectum quamuis flexa re- *Senec.*
uocabis; curuatas trabes calor explicat & *Ep.* 50.
aliter natæ in id finguntur quod vſus noſter exigit. Quanto facilius animus accipit formam flexibilis & omni humore obſequentior. Sed non abſque præueniente & excitante Dei gratia, eâque concomitante & ſubſequente; quæ quidem Dei bonitate non deerit. Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum; non quod ſufficientes 2. *Cor*
ſimus cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis, 3. 4. 5
ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Enimuero mortificatio Dei cauſa ſuſcepta largiores ſemper copias diuinorum ſubſidiorum ac ſolatiorum impetrabit; non patietur vnquam ſe diuina liberalitas ac munificentia ſuperari, ſi quæ eſt aſperitas in mortificatione ea mox oratione mitigabitur ac lenietur. Si ratio fide illuſtrata demonſtret eximios fructus finem ac ſcopum ſuſceptæ pænitentiæ, non erit illa grauis & acerba: ſi cæleſtium myſteriorum meditatione paſcatur ac ſaturetur animus; nihil admodum incommoda corporis æſtimabit: mortificationi igitur & orationi demus operam ad ſpiritus feruorem innouandum, exuamus veterem Adami pellem, deponamus pennas grauiores exponamus

mus

mus nos radiis solis. Quod monet Aposto-
ad Eph. 4. 22. 23. 24. lus: Deponite vos, secundum pristinam cõuersationem veterẽ hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ: & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. *Accedite ad eum, & illuminamini & facies vestræ*
Ps. 33. 5. *non confundentur* nulla dies abeat quin hac in vtraque palestra nos impensius exerceamus aliquod semper pœnitentiæ ac abnegationis nostræ sacrificium Deo offeramus, ad eum continenti & ardenti prece suspiremus. Admonet nos ipsa corporis nostri conditio, vbi iustam staturę molem viriumque ac roboris virilis maturitatem attigerit, mox, decrescentis sua sponte fatiscentis, & in deteriorem semper statum vergentis donec extremâ senectute ac morte ipsâ obruatur; admonet inquam nec ipsam animam in eodem diutius statu persistere; sed vbi sua cœperit incrementa virtutis, mox retrolabi ac decrescere, in seniumque & interitum tendere, nisi magnâ curâ ac vigilantiâ vindicetur; atque hoc interest inter corpus & animam, quod illius senectus & mors auerti omnino non potest: at huius commodè potest ac debet, vti nos Apostolus adhortatus est: *Renouamini autem spiritu mentis.*
ad Eph. 4. 23. Quippe animus noster, inquit Gregorius, dum igne amoris excoquitur, semper in se seruat charitatis pulchritudinem, quotidianâ innouatione feruoris

uoris: nescit enim mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare: vt aurum igne purgatur; sic animus oratione&aduersarum rerum perpessione splendescit. Quotannis certè videmus arbores quæ carent hyeme folijs, floribus fructibus, ineunte vere, renouari atque reuirescere maturosque ęstate fructus afferre; videmus quot diebus occidere solem, & iterum depulsis noctis tenebris exoriri ac renasci; videmus hebdomadas, menses, annos suis spatiis decurrere atque innouari, & sacrum quemdam Ecclesiæ zodiacum Christi Domini & SS. solemnitatibus insignitum mysteriisque variis distinctũ exhibere videmus ipsa sęcula, & annorum spatia centenaria pretercurrere & ad hunc primum sęcularem Societatis deuenimus, de quo meditemur Regium psaltem cecinisse: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate.* Ps. 64. Hier. vertit: voluetur annus in bonitate tua, & vestigia tua rorabuntur pinguedine; Hębraicè, orbitæ tuæ stillabunt pinguedinem. Congruunt hęc splendidissimo Soli nosto IESV, cuius augustissimo nomine signantur Kalendæ Ianuarij, & huic anno sæculari quo nos innouatione Spiritus & Cœlestium Gratiarum veluti coronâ exornat, in quos dulcedinem diuinæ pinguedinis effundit. Atque vt ad priores similitudines hanc adiiciam; Societas, liceat bene augurari, instar Phœnicis, de quo carmen elegans

elegans est Lactantii; hoc Iubileo congestis odoriferarum arborum ramentis, ad meridiani huius solis Iesv radios, alarum ac totius corporis motu igne concitato succendetur, atque inflammabitur, vt nouam omnino formam & speciem induat si necesse sit; nouumque planè spiritus ardorem concipiat. Pro monstro est habitus senex ille, de

in hist. quo Maffæus, è Gangaridum gente, quam hodie Bengalam vocant; cum prætorem Nonnium adiit in arce Diu natus annos trecentos triginta quinque, cui dentes aliquoties deciderant aliis continuo subnascentibus, & barba vbi prorsus incanuerat in atrum denuo colorem, idque paulatim semetipsa vertebat. Ominor meliora de Societate, quæ non ita senuit hoc anno sæculari, vt vel ei dentes exciderint ad spitualem cibum masticandum, & in animi stomachum traijciendum necessarii; vel barba ac coma conuersationis & ædificationis apud proximos laudatæ incanuerit, atque immutata sit; nec

Thren. 4. 1. consequentibus annis eueniet Deo propitio vt iustè ei improperetur: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus; dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum, filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa terræ opus manuum figuli? qui vescebantur voluptuosè interierunt in vijs; qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora:* Absit, absit, auertat hoc Deus a Societate malum; si quid tamen humanitus in

particulari

particulari quopiam, non vniuersim in tota Societate contingeret, adest Iubileus quo saltem quouis centenario renascatur ac renouetur Societas, exsuscitato primæuo feruore, zeli animarum & maioris Dei gloriæ, recuperatâ primâ per pœnitentiæ Sacramentum & indulgentiam plenariam innocentiâ, ac conscientiæ puritate, de qua nunc breuiter agendum.

CAPVT VII.

DE INDVLGENTIA IVBILEI, *& quatuor eius eximiis fructibus.*



VM à Theologis & Canonum interpretibus triplex distinguatur Indulgentia, plena, plenior, plenissima, de quo discrimine modo non disputo, constat hanc Iubilei esse plenissimam, quâ nulla plenior existere queat; quâ pœnę omnes omnino peccatis debitæ relaxentur. ac prior velut innocentiæ baptismalis status restituatur. Culpâ minimè condonatâ non potest relaxari pœna, nisi sublata causa non tollitur effectus ex ea manans; sed culpa iam per pœnitentię Sacramentum, aut antegressæ contritionis vim supponitur extincta, abolitaque, & sempiterna pæna quæ erat annexa

nexa in temporaneam commutata, vt hæc temporánea penitus aboleatur beneficio Iubilei, debet quis in Dei gratiam ante esse receptus: Vt nemo Mosaici Iubilei priuilegio fruebatur qui foret alienigena minimè adscriptus populo Iudæorum. Sed conditionibus indulgentiæ latè patentem campum non ingredior; cùm plurimi sint, & vberrimi illius fructus, quatuor dumtaxat breuiter proponam, ob quos maximo illa in pretio sit habenda; maximeque nobis sit Iubilandum, qui sunt idem quatuor eximij fontes, summæ perpetueque lætitiæ spiritualis. Primus est remissio, & condonatio peccatorum, non modo quoad culpam, verum & quo ad omnem pœnam, quam tranquilla ac secura conscientia comitatur ac consequitur; noue tabulæ conscribuntur & priora omnia debita obliterantur: *de propitiato peccato noli esse sine metu*, monet Eccles. nihil æque debet animum anxium, sollicitum, ac suspensum habere, quam certò admissorum peccatorum incerta & incomperta remissio. Quare precabatur Rex Dauid: *delicta iuuentutis meæ, &*
Psa. 24. 7. *ignorantias meas ne memineris Domine, ab ocultis*
24. 18. *meis munda me & ab alienis parce seruo tuo.* Quẽ versum ad errata senectutis quis referat, vt priorem ad iuuentutis, & tametsi condonata sit culpa tamen aliqua semper purgatoriis ignibus expianda pœna superest; nisi per Indulgentiam penitus relaxetur atque extinguatur: quę fuit olim multis causa differendi

rendi baptiſmi, vt eo expiati omnis tum pœnę tum culpæ expertes mox libero curſu in cœlum euolarent, tametſi interea dum forte mors interuenit inexpectata, non ſine diſcrimine ſalutis vitam agerent expertem quoque meritorum & operum pietatis; ea nobis cauſa conſecutione iubilei atque indulgentiæ plenarię remouetur, in primęuam baptiſmalem innocentiam reſtituimur, etſi non certam de fide, qualem ſibi fingunt ac mentiuntur hęretici; at quæ prudenter humanitus obtineri poteſt, firmis innixam coniecturis, ſecuritatem conſcientiæ, pacem, tranquillitatem, haud dubiam ſalutis fiduciam adipiſcimur; quid ditius? quid in corde dulcius? quid in terra quietius ac ſecurius? Bona conſcientia, exclamat Bernardus, damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quin & ipſa morte magis erigitur quam deprimitur. Alter fructus eſt Dei timor & cultus religoſus, vna cum virtutum Fidei, Spei, Charitatis cæterarumque moralium diuinitus infuſarum exercitatione tum & paſſionum & perturbationum animi compreſſione, ac moderatione; vno verbo vita Chriſtiana religioſo homine digna, ac conſentanea: *Timor Domini gloria & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis: Timor Domini delectabit cor; & dabit lætitiam & gaudium & longitudinem dierum.* Sane vt *triſtitia exſiccat oſſa, ſpiritus lætus ætatem floridam facit*; ita ad animi corpo- Eccl. 1. 11.

D risque

risque bonum plurimum confert ex Christianis legibus & moribus instituta vita. Adeptam autem innocentiam & gratiam, indulgentię beneficio, non minore cura, studio, ac labore tueri nos oportet; quam ad adipiscendam adniti. Id fiet accurata diuinarum legum obseruatione, si nullam ex eis vnquam deliberata voluntate transgredi statuas; si Deum semper præ oculis habeas, eiusque diuino nomini in omnibus factis, dictis, cogitatis, probare te studeas, ad eius obsequium & maiorem gloriam omnia studia tua atque instituta referas, si passiones cum ope eius gratiæ cōprimere atque intra rationis orbitam redigere nitaris, adeoque si domitas habeas, vt numquam nisi ex iudicij ac rationis præscripto concitantur aut mox diuini timoris fræno coërceantur. Altissima illa pars est, & immota tranquillitas quam compressis passionibus in anima Dei timor efficit. Qua de re Chrysost. Timor Domini stabilis est, immotusque, & tantam subministrat lætitiam, vt nullus nos aliorum malorum sensus capiat; Deum enim, sicut oportet timens, & in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est, & omnem habet lætitiæ fontem. Hoc innuebat Dominus; *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei non sitiet in æternum; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Quî enim sitiat qui fontem ipsum intimis animi sensibus scaturientem gerat? hic ipse fons

hom. 18 ad pop.

Ioan. 4. 14.

Deus

Deus est bonorum omnium inexhaustum & infinitum pelagus; seu tertius fructus familiaris cum Deo consuetudo, vsus amiticiæ quidam intimus cum Deo quem continua parit oratio, Charitatis vnio per quam quis vnus efficitur spiritus cum Deo; *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt* non in altera tantum beata vita per lumen gloriæ beatificum, sed in hac mortali per infusum fidei lumen, quo Deum rebus in omnibus ac in seipsis præsentem agnoscunt, ac venerantur. Deum possident & vicissim a Deo possidentur, Dei templa & organa diuino eius cultui consecrata. Quam fortunati ac beati qui ad hanc eius familiarem consuetudinem, necessitudinemque orationis vsu continuatæ pertingunt; cum Iesu Deo suo dies noctesque versantur; nunquam ab eius oculis ab conspectu longius abscedunt; quorum in imo pectore Iesus inhabitat; qui numquam non eius suauissima recordatione pascuntur ac recreantur. De Regijs Salomonis aulicis & famulis Regina Saba prædicabat *beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper & audiunt sapientiam tuam*: Et de Elia vate Ecclesiasticus, *beati sunt qui te viderunt, & amicitia tua decorati sunt*. At quanto beatiores, qui tametsi corporis oculis Christum versantem in terris non viderunt, tamen regnantem in cœlis & in sacra latentem Eucharistia, fidei ac mentis oculis acutioribus longe ac purioribus intuentur, ac

Matth. 5. 9.

cum eodem versantur amicissimè, quos ille
suà Societate & amicitià non dedignatur.
Psal. 15. 8. 9. Quisquis ille est cum Rege Propheta dicat:
*prouidebam Dominum in conspectu meo semper;
quoniam a dextris est mihi ne commouear: prop-
ter hoc lætatum est cor meum & exultauit lingua*
Psa. 88. 15. 16. 17. *mea, in super & caro mea requiescet in spe.* De
eisdem nos gratulantes canamus, *beatus po-
pulus qui scit Iubilationem Domine in lumine vul-
tus tui ambulabunt, & in nomine tuo* (Iesu) *ex-
ultabunt tota die. & in iustitia tua exaltabun-
tur quoniam gloria virtutis eorum tu es, & in be-*
Epist. 114. ad quandā sanctimon. *neplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.* Reue-
râ, inquit S. Bernardus, illud verum & so-
lum est gaudium quod non de creatura, sed
de creatore concipitur; quod cum possede-
ris, nemo tollet a te, cui comparata omnis
alitunde iucunditas, mœror est; omnis suaui-
tas, dolor; omne dulce, amarum; omne de-
corum, fædum; omne postremo quodcum-
que aliud delectare possit, molestũ: Et recte;
nam quæ ad creatorem componi possit crea-
tura, quod genus boni caduci, terreni, ad
illud cæleste, increatum, immensum, æter-
num, infinitum, vndequaque interminatum?
Psa. 72. 15. 16. Omnis copia quæ Deus meus non est, ino-
pia est; *quid enim mihi est, in cælo! & à te quid
volui super terram? Defecit caro mea & cor meum.
Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*
Quantus fructus & fons lætitiæ promanans
ex indulgentiis, est certa spes & expectatio
futuræ beatitudinis, innixa meritis Christi
Domini

Domini Saluatoris, ac Mediatoris nostri, qui semetipsum obtulit Deo Patri victimam nostræ salutis, vt nos ei cōciliaret, suâque Passione, Morte, & Resurrectione, beatæ nobis æternitatis aditum patefecit. *Gaudete*, aiebat Dominus, *& exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo.* *Iterum. Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* Basilius: spes retributionis, quæ tristia sunt in hac vita, leuiora efficit: affectus es ignominia? suspice gloriam cœli, tibi parandam merito patientiæ? Iacturam rerum tuarum adiisti? oculos imprime fixius cœlestibus diuitiis, & thesauro incomparabili quem tibi bonorum operum pretio seposuisti: patrio solo exclusus es? Itaque dic: *lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domū Domini ibimus.* Vt se cohortantur, qui ad aliquam Martyrum celebritatem simul eunt; Eamus, Eamus: sic vnicuique nostrum ad celestem patriam votis ardentibus adspirandum; ac cum B. sene Simeone dicēdum: *Nunc dimittis seruum tuum, Domine secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Vidimus hunc annum sæcularem Societatis, non publicis ludis sed spiritualibus pietatis exercitiis diuinisque laudibus celebratum; vidimus efflorescentem Societatem, quâ virtutis & sanctitatis, quâ doctrinæ & eruditionis variȩ laude, quâ fructu animarum non pœnitendo; atque ab ipsis probatam SS. Pontificibus, tum orbi vniuerso commendatam; quin

Matt. 5. 12

Luc. 10 20.

hom. de grat actione

Psal. 121. 1

& bonâ ſui parte, complurimis noſtrorum in cœlum receptis, regnãtem ac triumphantem. Quin igitur ad eam immigrare peroptamus? quis nos hîc remoratur in terris? Audiamus S. Cyprianum: ſi in Chriſtum credimus, fidem verbis eius & promiſſis habeamus, & non morituri in ęternum ad Chriſtum cum quo & victuri & regnaturi ſemper ſumus læta ſecuritate veniamus. Quod interim morimur, ad immortalitatem morte tranſgredimur, nec poteſt vita æterna ſuccedere, niſi hinc contigerit exire; non eſt exitus iſte, ſed tranſitus, & temporali itinere decurſo, ad ęterna tranſgreſſus; quis non ad meliora feſtinet? quis non, mutari & reformari ad Chriſti ſpeciem & ad cęleſtis glorię dignitatem venire citius exoptet?

Liob. de mortalitate

CAPVT. VIII.

PRIMVS HIC JVBILEVS ſingulari nobis ad virtutem eſſe debet incitamento.



AD quatuor capita proximè expoſita, reuocari poſſunt exercitationes omnes ſpirituales, cum in propria cuiuſque, tum in proximi ſalute ac perfectione curanda, ſuſcipiendæ. Nam id præcipue ſpectant ſpiritus exercitia, ab hominibus Societatis vſurpata

ſurpata

ſurpata, primùm vt conſcientiæ mundentur, ac grauiori noxa, imo & leuiori deliberata culpa liberentur; deinde vt religioſæ vitæ ratio teneatur, mortificationi paſſionum ac perturbationum, virtutumque exercitationi detur opera; tum tertiò vt familiare Deo euadamus per orationis vſum & charitatis intimam vnionem; poſtremò ad exitum nos comparemus, & optatam mortem aſſequamur, quâ in cæleſte regnũ beatorumque triumphantem Societatem traducamur. Atque hæc non niſi Chriſti Domini meritis ac beneficio ſingulari, conſequi poſſumus, a quo pendet omnis noſtra iuſtificatio, quæ duplici parte conſtat: remiſſione peccatorum, & infuſione gratiæ, per quam, & peccata deinceps vitamus, & pietatis opera exercemus: Chriſtus Dominus vnicus auctor & largitor eſt tum gratiæ habitualis, quâ iuſtificamur; tum actualis; quâ vitam illo duce & principe dignam agimus, tentationes ſuperamus, noſque ipſos vincimus, expugnato illo, qui cuique inſitus hæret amore proprio; vt diuina eius regnet in animis noſtris, ac triumphet charitas, magna pace & tranquillitate conſcientiæ, cum bona ſpe vitæ æternæ. Ad hæc officia virtutum non mediocriter exſtimulare nos debet annus hic iubilei, qui omnium primus eſt, nulluſque illum hactenus anteceſſit: nam ſi comparetur Societas cum præſtantibus aliis ordinibus religioſis, qui 500. 600. & mille amplius annorum

Iubileos peregerant; adhuc infans videri potest in primis prope cunabulis ac crepundijs; quam bono sensu nūcuparis illam 100.
in Esai. 65. annorum infantem, ex interpretatione S. Hieron, adhuc innocens, expers labis, gaudens lacte sanctitatis & integritatis; quod ex illo hausit parentis virginum casto sinu, in quo nata est, & hactenus creuit. Adhuc per Dei gratiam adolescentula, iuuenis, ac florens vniuersa Societas est, sana, vegeta, robusta, plena succi & vigoris: quis vero non continuò aduertat, quam pudendum foret, ac dedecorosum, instar prodigij; matris ætate florentis, adolescentulę, specie ac forma venustæ; quosdam se profiteri filios deformes, senes, marcidos, languidos, vix animam agentes de quibus illud Regij vatis accipias:
Psa. 17. 46. *filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerūt a semitis suis:* hæc nempe causa est prematuræ senectutis; quod non se totos addicant diuino obsequio; sed in vtramque partem claudicent, nec sæculo
2. Reg. c. 9. 13. nec Deo penitus mancipati, vel instar Miphiboseth, intellectus & affectus vtroque pede claudicantes, non promoueāt, sed gradum trahant: si corpus Societatis vniuersum sanum est, vegetum, ac valens; an non dolēdum & erubescendum quædam eius infirma esse membra exsucca, exsanguia, propemodum mortua, suomet vitio; cum spiritu ipsius corporis ac capitis vegetari ac vigere perfacilè possint? Quod exploratorum prin-

ceps

ceps Caleb de se gratulans, ac Deo gratias agens inquiebat; hoc generatim quoque Societas de se singulari Dei munere profiteri potest: *Hodie octoginta quinque* (vel centum) *annorum sum sic valens, vt eo valebam tempore quo ad explorandum missus sum, illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat, tam ad bellandum, quam ad gradiendum.* Valet Societas eisdem viribus, quibus in prima sui florebat origne, siue ad progrediendum in cœpto itinere perfectionis propriæ, siue ad bellandum aduersus hostes apertos, & occultos, in procurandâ proximorum salute: sed hanc laudẽ Societatis, ne priuatim nos socordiâ nostrâ minuamus & obteramus, prouidendum est; ne torpore & ignauiâ quorumdã malè audiat Societas. Nam & illud Hieronymi, huc transferri potest: sanctum propositum, & cælestis Angelorumque familiæ gloriam, quorumdam non rectè agentium nomen infamat. Nam ita vsu venit, vt vnius culpa in omnes tranferatur, & quod vnus facit, ab omnibus fieri vulgô censeatur. Quod tu facis, Societas facit, propter quam facis, & cuius filius facit. Appositè Sanctus August. Iam vero meminisse nos oportet, idque vt meminerimus & expendamus ipsi nobiscum attentius, admonet primus hic Iubileus, nouissimos nos ad excolendam vineam sub vndecimam fere a patre familias aduocatos; Quare quo tardius aduenimus, eo maiore cura ac contentione laborandum esse breuitatem

Iosue 14. 11.

Epist. 3. ad Demetr.

Ep. 150 ad Apig.

tatem, temporis laboris aſſiduitate compenſandam; non eſſe nos comparandos ijs qui primis horis aduocati, tolerarunt pondus diei, & æſtus. Ex denario diurno minime conuentum eſſe nobiſcum; ſed ex vna patris familias liberalitate nos pendere; non tam mercedis ſpe, quam animi grati pro penſione ac teſtificatione laborandum; quod denique in vineam vocati & admiſſi ſumus, omnem nobis induſtriam, diligentiam, operam in ea collocandam. Conſuerat id B. P. Borgia in familiaribus vſurpare ſermonibus: Quemadmodum in amplis principum familiis, qui poſtremi adſciſcuntur famuli, plurimum deferre ſolent vetuſtioribus, qui multos iam annos in Domini obſequio contriuerũt qui multis pridem officiis illius gratiam ac beneuolentiam demeriti; ipsâque vetuſtate in domo probati ac confirmati ſunt; noui vero nondum ſe probarunt nec ſuæ diligentiæ atque induſtriæ ſpecimen dederunt; quaread omnia parati atque expediti, derelicta ab aliis & abiectiora quæque lubentes onera ſuſcipiunt, nullumque omnino miniſterium ſubterfugiunt: hanc eandem eſſe rationem Societatis recés inſtitutæ, ſi cum prioribus antiquitate iam probatis ordinibus componatur. Sanè & in ipſis religioſis familijs multum antiquitati defertur, nec par ratio eſt Nouitiorum & Tyronum, quæ Profeſſorũ ætate prouectorum; alia ſolét imponi nouitiis, alia poſtulari à profeſſis: Exiſtimet

ſtimet ſe Societas inter cæteras Religiones adhuc eſſe nouitiam, & in exacta ſui ordinis probatione verſari, de quo quidem ordine ſi quis ex S. Bernardo requirat, reſponſurus eſt: Ordo noſter abiectio eſt, humilitas, voluntaria paupertas, obedientia, pax, gaudiũ in Spiritu Sancto: Ordo noſter, eſt eſſe ſub regula, ſub diſciplina, exerceri orationibus, & ſuper omnia excellentiorem viam tenere, quę eſt charitas. Quem ordinem, vt quiſque teneat accuratè, nouitium ſe ſemper eſſe reputet, & in primo adhuc ingreſſu ac limine Societatis agere, cum ea qua par eſt verecundia & animi demiſſione inter veteranos Tyronem agere, quod erat monitum R. P. Mercuriani: Æqualem & perpetuam totius vitæ noſtrę tanquam nouitiatus exercitationem eſſe oportet; neque tamen ſimiles iis nos eſſe conueniet quos B. P. Borgia deſcribit, ocreatos & calcaribus indutos, qui tamen ab hoſpitio pedem non commouét, aut per vrbis inambulantes compita pedeſtres equites, nunquam iter ingrediuntur; ſimiles, item militibus domi & in vmbra glorioſis, armatis quidem, ſed qui numquam arma expediant, nec inarenam, ſolem, & aciem, dimicationemque prodeant: vota nobis & regulæ non deſunt, velut ocreæ & calcaria, velut arma lucis & militiæ ſpiritalis accommodata, ſed deeſt vſus, eorumque ex exercitatio, & obſeruatio: quod ſi primo hoc aditu ac feruore Societatis torpeſcimus, quid de conſequen-

Epiſt. 141.

quentibus annis ominandum eſt ? habenda qnoque nobis ratio poſterorum, & primus hic Iubileus cæteris Dei beneficio ſecuturis velut exemplar ac forma præire debet; ſi celebretur à nobis quo par eſt animi ſenſu, & fructu, nec in externa, ſolum pompa atque apparatu conſtiterit, ſed interiore ſpiritus innouatione & augmento; ſperandum eſt & alterum & tertium Iubileum vberiore, etiam fructu a poſteris celebrandum, eâque ratione Societatis vigorem & ſplendorem in complura ſæcula perpetuandum. Quod vtinam eueniat, vt numquam planè conſeneſcat; ſed certè inſtar Dienſis illius ſenis trecentenarii quoquo ſaltem ſæculo iuueneſcat, ac depoſitis veteribus exuuiis effloreſcat, de quo vigore & ſplendore diſciplinæ religioſæ paucis agendum hic eſſe duxi.



CAPVT

CAPVT IX.

QVA POTISSIMVM EX causa Religiosæ disciplinæ splendor obscuretur & imminuatur.



On id quidem accidit inopia, aut paucitate constitutionum ac regularum, quibus ea disciplina religiosa sanciatur, quarũ ex præscripto non liqueat, quæ vel agenda vel omittenda sint, domi forisque, vel in propria vel aliena proximi salute ac perfectione promouenda. Nam Dei gratia, Congregationum & Præpositorum Generalium vigilantiâ, diligentiâ, curâ, & industriâ tot iam editę sunt constitutiones & ordinationes, vt plura volumina & iustum corpus iuris Societatis efficiant. Officit potius ac grauat ipsa copia, varietas & multitudo; si desit lex interioris spiritus ac gratię, quam Spiritus Sanctus cordibus inscribere solet, Lex infusę charitatis; quod monuerat S. Pater proœmio cõstitutionũ. Solebat Bustamantius Bęticę Prouincialis, Borgię magnus comes, dicere; solas Regulas, si obseruétur, omnino sufficere: prętor summarium constitutionum, nihil prętereà requirendum. Pręleguntur illę Regulę quot mensibus ad mensam

mensam, & euenit aliquando, vt dum à mensa Religiosè colloquuntur Patres, inter eos disceptaretur, quę foret omnium pręstantissima, cęteris anteponenda, P. Rector, qui intererat conferentię, pręculit Regulam, de perfectè imitando & sequendo Christo Domino. Proximus illi sequentem 12. de continua suiipsius, rebus in omnibus abnegatione. Tertius 17. de recta & pura intentione. Quartus addidit 15. nihil ommittendum perfectionis in obseruatione regularum & instituti, quę 15. regula cęteras amplectitur. Sextus vrsit obseruationem Votorum quę sunt stabilimenta Religionis, à 28. vsque ad 38. pręsertim quę ad obedientiam pertinent, quę est nota & tessera Societatis. Septimus pręculit 8. de abnegatione omnis amoris proprij & parentum, & amore intimo Christi Domini vice parentum & rerum omnium. Sunt omnes regulæ prorsus eximię cœlestes & diuinæ, quę ad Dei proximique charitatem referantur, aut ex ea nascantur, sibi cohęrentes ac connexæ. Sed si mihi liceat iudicium quoque meum interponere, aut potius S. P. Ignatij proferre, dixerim in procœmio summarij consistendum, & in ipso limine nobis indicari, quæ potissima sit, lex diuini amoris & infusæ charitatis, quā Spiritus Sanctus inscribere ac cordibus imprimere solet: qua de re & aliàs S. Pater: curandum est vt in spiritu amoris & non cum perturbatione timoris procedatur. Reg 33. Quod discrimen est

inter cætera veteris ac noui testamenti, nempe quod in illo plurimæ essent leges ceremoniales, & iudiciales, iam denique abolitæ; in hoc vigeat lex amoris, lex gratiæ & spiritus, quæ nos liberet a lege peccati: hoc prope discrimen est inter mortuas constitutiones, & ordinationes hoc spiritu destitutas, & easdem informatas atque animatas spiritu charitatis, a quo spiritu præcipuè pédet earumdem executio & obseruatio. Ex hoc igitur defectu prouenit vt Religiosę disciplinæ vigor elanguescat, ac splendor obteratur; sed in quos huius defectus culpa referenda sit, superiores an inferiores, merito possit ambigi; & opere pretium sit exquiri. In superiores culpam eam reiicit D. Leo: inferiorum, inquit, ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque Rectores, qui multam sępe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam: Quam in eandem sententiam Nazianz. subditorum mores, vti opera de artificibus, sic de superioribus testimonium ferunt; Nempe, *secundum iudicem populi, sic ministri eius; & qualis Rector ciuitatis; tales & inhabitantes in ea:* ad exemplum fere moresque superioris accomodant se & conformant inferiores, & illi non tantum comittendo, sed & omittendo peccant; non occurrendo maturè iis, quę se offerunt, periculis, & incommodis, grauiter delinquũt. Quare penset, inquit D. Grego. M. Pontif.

tif. qui ad satisfaciendum districto iudici de sua tantum anima vix sufficit; quia quot regendis subditis præest, reddendæ apud eum rationis tempore tot solus animas habet. At nonnullis videbitur in inferiores magna pars eius culpæ reijcienda, quod difficiles se præbeant, ac sæpe spem omnem correctionis ac curationis pręcludant; non sint oues, vel agni quibus regendis nulla sit difficultas, qui sponte ductorem sequantur; sed lupi vulpes, canes, vituli proterui, qui se duci ac regi non patiantur: ægri fastidiosi qui medicinam omnem respuant; aut phrenesi laborantes, qui curari nolint, in ipsumque medicum sæuire non vereantur. Deo nos comittamus, aiebat D. Ambros. & Dei vices gerentibus, parati, quo velit curari medicamento; nouit ipse quę singulis vulneribus medicamenta conueniant. Vide eum qui curari velit, in omni medici genere acquiescentem, si differt medicus, æger se offerre debet, vt citius sanetur, vinculis vltro se debet astringere, quo sit sanatio sectioq; securior. Cum disciplina religiosa potissimum pendeat ab interna lege, ac spiritu charitatis, ab vtrisque superioribus & inferioribus sæpe peccatur, dum eorum culpâ fit, vt dominetur Amor proprius æmulus amoris Dei, qui per illum imminuitur atque extinguitur: pugnant inter se charitas atque cupiditas; dum huic indulgetur, ac fręna laxantur, Charitas reprimitur atque obscuratur, ne dicam

in Psal. 97.

cam

cam extinguitur: peccant superiores nimia quandoque seueritate, nimium astringentes & pro lacte sanguinem exsugentes; quandoque laxitate priuatis affectibus indulgentes & pudore quodam humano delinquentes minimè pœnis coercentes; peccant inferiores superbia & nimia proteruitate, immoderata corporis cura, complacentia sui, de aliis, maximè superiorbus, iudicandi libertate. In vtrisque dominatur amor proprius, & quęrunt quę sua sunt, non quę IESV CHRISTI. Peccant vtrique dum multum operę ac studij ponunt in externis quibusdam obseruationibus sæpe minutis, & non magni momenti, neglectâ spiritus interni curâ, dum pręterito nucleo, hęrent in cortice, dum externæ modestię, fictęque amicitię maiorem non nunquam, quam charitatis rationem habendam ducunt; dum aliud corde tegunt aliud ore promunt, ementitâque dissimulatione mentem suam obtegunt & minimè sincerâ ac apertâ veritate nituntur: sunt plerique ὀφθαλμόδουλοι oculis seruientes, qui in pręsentia tantum eorum quos verentur, recte agunt; vbi illi terga verterunt, & ipsi mores vertunt. Extant pręclara P. Euerardi monita ad superiores, quorum illud primum est. Vt eo spiritu, qui Societatis est proprius, & suauissimo quodam amore subditos regant etsi quandoque à perfecta obediendi ratione declinent subditi, tamen intelligant superiorum esse, vt istam hominum

imbecilitatem & fragilitatem singulari quadam dexteritate & amoris significatione prosequantur; poscet enim iustitiæ ratio, vt qui se Christo Domino totos liberalissimè deuouerunt; pari charitate recepti gubernentur. Namque animus iste liberalis & plenus amoris, adiunctâ diligentiâ ac solicitudine paternâ facillimè efficiet, vt ex præceptis instituti nostri viuatur. A subditis vero exigit vt in his qui præsunt, Christum Dominum, cuius voluntate, ipsius locum superiores tenēt, agnoscant: vt enim in obediendo, non probitas superiorum, non virtus, sed Christi Domini honos spectandus est; ita, si quæ in eis imperfectionum maculæ adspersæ forte forent, ab illa prompta & perfecta obediendi religione discedendum non est. Quod deinceps admonet, de vitanda simulatione & parum sincera agendi ratione, vtrisque, & superioribus, æque vitandum est, vti iam monui. Nihil enim magis officere potest charitati, & animorum coniunctioni, perfectæque obedientiæ; quam hæ fraudes & artes agendi tectæ; quæ tamen hominibus solertibus & ingeniosis diu tectæ & obscuræ esse non possunt, hic igitur spiritus amoris ab vtrisque superioribus & inferioribus in Societate suscitetur, conseruetur & in dies augeatur; vt disciplinæ religiosæ splendor ac vigor ipsiusque Societatis existimationis ac famæ bonus odor magis efflorescat: si studeamus puritati conscientiæ, mortificationi

tioni passionum, quatenus obseruatio quidem regularum exiget; orationi & consuetudini cum Deo; tum ad fœlicem optatamque mortem nos comparemus: ex spiritu amoris diuini mox enascetur spiritus orationis & mortificationis; quo quamdiu Societas imformabitur; viuida semper erit ac valens, nec facile inueterascet atque deficiet. Interim quod pulchrè Chrysologus monet sepiat nos paterna Reuerentia, & obseruantia tam amandi Patris (S. Ignatij & præpositorum nostrorum) matris componat affectio: matris optimæ Societatis, quę nos genuit, & enutriuit, fouit, ac pertulit hactenus haud merentes, instituit omni litteratura ac doctrina; & quod caput est pietate ac virtute informauit: Congratorum custodiamur aspectibus: tot patrum ac fratrum, tam illustrium omni virtute ac sanctitate conspectu conuictu, colloquiis ac domesticis exemplis in officio contineamur & extimulemur.

serm. 1. de filio prodigo.



CAPVT X.

DE PRÆSTANTIA INSTITVTI *Societatis, & artiori nostra ad perfectionem obligatione.*

Isai. 61 1.

Luc. 4. 18. 19.



PIRITVS *Domini super me, propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, ac cæcis visum, dimittere confractos in remissionem predicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.* Hoc de se Dominus vaticinium Isaiæ apud populares suos & ciues Nazarenos interpretatus est, quod liceat mihi ad eius Societatem cuius ipse est caput, princeps, auctor, rector, anima, vita, salus, incolumitas omnis ac fœlicitas, per quem illa quicquid potest ad animarum salutem exequitur; nam sine illo nihil omnino potest, qui illâ velut organo non dedignatur vti, qui per illam, regnans in cœlis operatur quæ olim operatus est in terris; liceat inquam id accommodare. Spiritus Sanctus absque mensura in Christum Dominum effusus est adeo largiter & exuberanter, vt in omnia membra redundarit, hocque etiam extremum nuperæ suæ Societatis septiformis spiritus copia donorum cœlestium & interior vnctio

deuotionis

deuotionis ac feruoris perfuderit. Quare ab Iesu-Christi Vicariis missa est Societas in vniuersum mundum, Euangelizare pauperibus & mitibus, lætum nuntium ad ferre suæ salutis, & redemptionis; catechismo rudes passim & idiotas informare, contritorum corde ac pœnitentium alligare vulnera Sacramenta illis pœnitentiæ & Eucharistiæ ministrare velut oleum & acetum diuinæ clementiæ & iustitiæ mixtam indulgentiæ seueritatem instillare, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, fidem & indulgentiam miseris annũciare peccatoribus, prędicare annum acceptum remissionis, peccatorum iubileum, simul & diem retributionis, extremi iudicii; vt quos amor non allicit, timor impellat atque in officio contineat. Quæ quidem sacræ functiones ad animarum salutem pertinentes, haud obscurè præstantiam institutiSocietatis aperiunt ac demonstrant: tum & finem Societatis & media ad eum accommodata continent: ex quo duplici capite finis & mediorum hæc ipsa dignitas ac præstantia Societatis apertè deducitur. Finis Societatis in bullis Pontificiis exprimitur fidei propagatio, & defensio, animarumque in vita & doctrina Christiana progessus: à B. P. Ignatio finis huius Societatis statuitur, non solum saluti & perfectioni propriarum animarum cum diuina gratia vacare, sed cum ea impensè in salutem & perfectionem proximorum incum-

Pauli 3. in formula Instituti Iulij 3 Gregorij 13 Quanto fructuosius.

In examine c. 1

bere eundem explicat 4. part. constit; cum scopus ad quē Societas tendit, sit suas & proximorum animas ad finem vltimum consequendum, ad quem creatæ sunt, iuuare &c. Qua in salute, & perfectione, tum propria tum proximorum quam plurimorum, ita est maior Dei glòria, maius obsequium quod eius maiestati deferri à nobis queat, vt Dominus Deus à suis creaturis agnoscatur, adoretur, obseruetur, omni pietate ac religione colatur; ad hanc maiorē Dei gloriam S. Ignatius omnes suas curas & cogitationes conuertit; nec alium habuit, sibi propositum scopum in aggreganda & instituenda Societate, quam animarum salutem ac perfectionem. Ad eum finem perquam accomodata media; ac subsidia suis præscripsit, ad propriæ salutis finem continuum orationis & mortificationis studium; ad proximorum, catechismos, conciones, lectiones, Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ administrationem. Adde vsum spiritualium exercitiorum, priuata colloquia, & exempla honestæ vitæ ac virtutum, præter assiduas preces in eundem finem Deo oblatas. Ex eodem duplici capite finis ac mediorum non modò præstantia perspicitur instituti; Verùm & arctior quædam nostra ac singularis acquirendæ perfectionis obligatio, vt proximorum quoque salutem ac perfectionem promoueamus, atque idonea diuinæ bonitatis, eo in genere euadamus instrumenta.

Vulgatum

Vulgatum illud Areopagitæ magni Dionysij; *de cœlesti hierarchia c. 9.*
omnium diuinorum diuinissimum esse
Dei cooperatorem fieri, circa salutem animarum: iuxta illud Apostoli: *Dei enim sumus adiutores.* Ad Episcopos quidem pertinet hic supremus gradus perfectionis, non *1. Cor. 3. 9.*
modò iam acquisitæ, sed & aliis conferendæ idque formaliter vt loquuntur ingenerando eam perfectionem, doctrinâ, moribus & sacrorum Ordinum collatione, simul & Confirmationis sacramento: ad Religiosos verò, quorum finis, & institutum est saluti ac perfectioni proximorum incumbere, proximus pertinet gradus perfectionis acquirendę eo fine & acquisitæ, vt in proximos ea deriuetur dispositiuè ac præparatiuè, vt digni sint & idonei quibus ipsa perfectionis forma diuinitus & à maioribus hierarchijs conferatur: inde cum duplex sit ordo ac generica diuersitas Religionum, quarum aliæ sunt Monachorum, aliæ clericorum; Societas à Tridentina Synodo dicta est, Religio Clericorum Societatis IESV, dici potuit Presbyterorum, cum nullus nisi presbyterio initiatus ad professionem admittatur; & sanè functiones quibus proximorum saluti ac perfectioni vacat, functiones sunt clericorum & Presbyterorum, in administratione cælestis doctrinę per catechismos & conciones sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, quæ ipsa diuini verbi & sacramentorum administratio, quantam postulet vitæ sanctitatem, ac per-

fectionem, nemo non videt; quantâ ſit opus innocentiâ, prudentià, patientiâ, charitate, zelo, magnanimitate, longanimitate, dexteritate ad animas Chriſto lucrificandas, purgandas, illuminandas, vniendas, Deo; quam ipſe purgatus, illuminatus Deo coniunctus eſſe debeat, quo Deus ad tam illuſtres fructus vtatur inſtrumento.

Nihil dignius, eminentius, diuinius excogitari poteſt Chriſti corpore tum vero ac reali in Euchariſtia, tum myſtico, quod eſt Eccleſia; quęnam igitur eius viri virtus eſſe debet, ac ſanctitatis eminentia, quæ dignè contrectet hoc vtrumque corpus, qui ſacro ore conficiat Euchariſtiam, Deo reconciliet pœnitentes, & vti par eſt viua Chriſti mem-

Matt. 24. 45. bra pertractet, *quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens quem conſtituit Dominus ſuus ſuper familiam ſuam*, Chriſti Vicarius, ac perfectus imitator, vir Apoſtolicus inconfuſibilis operarius. De primis Patribus Paulus IV. inquit; ſicut nomen Iesv aſſumpſerunt; ita opere, doctrinâ & exemplis Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum imitari, & illius veſtigia ſequi nitantur: Apoſtolicum ſanè (abſit verbo inuidia) Societatis eſt inſtitutum; Apoſtolicæ functiones & viuendi rationes, in animabus perquirendis ac Chriſto Deo ſuo ac vltimo fini conciliandis: magna igitur nobis incumbit acquirendæ perfectionis obligatio, magna eſt dignitas inſtituti. Eminentiſſimus certè finis & ſcopus ad quem

conti-

continenti ſtudio tum orationis rebus in omnibus, adſpirandum eſt; nulla huic ſtudio par adhiberi poteſt contentio, nulla ſat magna vel diligentia vel induſtria, vel cura, & opera præſtari poteſt, ſanè religioſæ huius vocationis ac cõmiſſorum nobis talentorum, admodum exacta repoſcetur ratio, non mediocris inſtitutionis in optima hac ſchola quam in omni genere doctrinę ſacrę ac ſpiritualis tot iam annos accepimus, fructus exigetur; vt nos geſſerimus in animarum piſcatione, ac negotiatione inprimis propriæ ſalutis, & perfectionis cura, in imitatione virtutum Chriſti Domini, quem nobis ducem, propoſueramus, in itinere cœptæ perfectionis vti proceſſerimus; tum & quæ animarum lucra neglexerimus; diſquiretur. Id igitur agamus his iubilei ſuſceptis exercitiis, vt ad eum extremum diem nos comparemus accuratius, atque innouato feruore ſpiritus, nouam aggrediamur viuendi rationem, inſtituto noſtro tam eminenti conſentaneam, dignam Chriſto Ieſu, ſupremo principe, ac capite noſtro; dignam S. Ignatio, eius vexillifero; dignam corpore & cohorte Societatis, cui ſumus inſerti & aggregati; dignam militante & dimicante tota Societate vt in eandem aliquando regnantem ac tiumphantem transferamur.

CAPVT XI.

DE CONTEMPLATIONE ET actione, ex qua vtraque, mixtum vitæ genus sequitur Societas.



Ecentissimvs diuinarum rerum ordo, est inquit magnus ille Dionysius, vt prius communicet, atque impleatur S. Præsul, his, quæ per eum distribuenda sunt cæteris, diuinis donis, & sic tradat cæteris. Loquitur de sacramento Eucharistiæ; sed par est ratio cæterorum donorum & inferiorum Sacerdotum; vt in radijs solis, tenuiores, limpidioresque substantiæ primâ influenti luce replentur, sicque exuberantem lucem in subsequentes solis vice transfundunt; ita non sine periculo diuinis in rebus, quisque aliis se ducem præstare præsumit qui non per omnia euaserit similis Deo: Quantum id est similem esse Deo! In eâdem sententiam Nazianzenus: cauendum, ait, ne admirandæ virtutis mali pictores existamus; ille virtutis bonus pictor est qui virtutis bonum exemplar est, ille malus pictor, qui linguâ pingit, vitâ expungit: propterea purgari prius vult, deinde purgare; sapientia instrui, atque ita demum alios instruere; lux fieri

c. 3. Ecclesiast. hierarchia.

Orat 7.

fieri, & alios illuminare; ad Deum appropinquare & ita alios adducere; sanctificari & postea sanctificare, cum manibus ducere (id est operum exemplis, cum prudentia, consilium dare. Sanè Rex Propheta Dauid priusquam diceret: *docebo iniquos vias tuas*; Spiri- Psa. 50.
tum diuinum postulauit *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visce-* 12.
ribus meis. Iterum: *ne proiicias me à facie tua,*
& Spiritum Sanctum ne auferas a me. denique: 13.
redde mihi lætitiam salutaris tui & spiritu prin- V. 14.
cipali confirma me: ac tum sequitur; *Docebo ini-* 15.
quos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Si ad munus aspiras Apostolicum, Apostolico opus habes spiritu: Apostoli prius repleti sunt Spiritu Sancto; tum cœperunt loqui. Tribus hisce psalmi versibus tres augustissimæ Trinitatis personas inuocare possumus, earumque diuinam opem in animabus iuuandis implorare: ô Spiritus S. Deus, cor mundum crea: ô Fili Saluator, ne proiicias me à facie tua: ô Pater cœlestis, redde mihi letitiam quę breuis oratio multis & familiaris, & experimento comperta salutaris.
Multus quoque est Bern. vt persuadeat iis In cant.
qui alios lucrari conantur, sæpius conchas 2. de cō-
exhibeant quam canales. Gregorius quoque sid. 3.
Pontifex inquit; electi & boni sic lucra alio-
rum expetunt, vt sui nulla damna patiantur 1. Reg.
pleni quippe in seipsis sunt, effluentes aliis, c. 6. 9.
& de abundantia sui, sic aliis tribuunt, vt suę plenitudinis aliquid non amittant; sic aliis prę-

præbere oleum nituntur, vt à se fomenta luminis non tollantur; vt dum illuminant alios se non extinguant; imo seipsos magis & prius illuminent; dum alios incendunt amore diuino, seipsos magis incendant; duces aliis præeant; & iter quod demonstrant, primi constanter ingrediantur. Vt nutrix infantis Regii, lauto semper & exquisito cibo vesci debet, vt purum illi lac, & defæcatum instillet; vt qui est ab eleemosynis Regi curare debet ne vacuum, sed bene refertum sit marsupium, ne nummi desint, quos in egenorum stipem dispertiat; vt fons & puteus quò magis exhauritur, eò purioribus ac largioribus scatet aquis: ita qui saluti vacat alienę, suæ comprimis curam habere debet, ex qua & aliena pendet, tum quę diuina est liberalitas, & munificentia prouidebit Deus, ne quid, aliorum causâ susceptus labor proprię perfectionis imminuat: Cui bonus, qui sibi nequam? sed non patietur Deus, si bono te animo saluti ac perfectioni proximorum impendas, id tibi damno sit, & perfectionis impedimento. Ea de causa Societas mixtum vitæ genus ex actione & contemplatione contemperatum, excolere se profitetur; non solam contemplationem, quâ Deo fruatur, illique adiungi ac familiaris euadere studeat; nec solam actionem quâ proximis opituletur, eorumque saluti ac perfectioni curandæ inuigilet; sed æque & ex proposito vtramque velut instituti sui partem amplectitur.

Et

Vt charitas infusa duplicem, Dei proximique continet amorem, suntque isti amores inter se connexi; cum ex Dei amore nascatur amor proximi, hicque crebrò ac feruenter exercitus Dei amorem exsuscitet, promoueat, confirmet; ita sibi cohęrent, mutuoque iuuant salus ac perfectio propria, cum proximi salute ac perfectione copulata; vt mutua sibi præstent subsidia & incrementa: quod genus vitæ ad Prælatos præcipuè pertinet, auctore Gregorio; sit Rector in actione præcipuus, præ cunctis in contemplatione suspensus, sed ad omnes diuini verbi & Sacramentorum administratio pertinet, vt S. Thomas, quibus, cum Deo & proximo versandum est. Cum Deo quidem versari, & eius cōsuetudine perfrui, non modò cuique optatissimum & iucundissimum esse debet; sed & nobis, & proximis longè vtilissimum & prope necessarium est. Nam Deus lux est, quæ nos suo splendore perfundat, mentisque nostræ tenebras discutiat, vt eius illustrati claritate, & viuifico calore succensi, reddamur idonei ad agēdum cum proximis, in eosque cælestia dona transfundenda: absque eius ope singulari frustra laborem proximos iuuandi suscipiamus. B. Franciscus Sales Geneuensis Episcopus comparat vitam deuotam, quare & maximè Deo deuotam, religiosam; schalæ Iacob Patriarchę, è terra in cœlum erectę, cui Deus sibi placens innitatur, per quam

2.p. Pastor. c.1

S. Th. 2. 2. q. 18. a.1. ad 1.

l.1. Introduct. c. 2.

Angelos

Angelos vltrò citroque commeantes Patriarcha vidit ; extremitates ſchalę laterales ſunt oratio, quâ impetratur amor Dei, & ſacramentorum frequentatio, quâ & obtinetur & confertur proximis hic diuinus amor; gradus ſunt varij eiuſdem amoris actus exerciti, per quos itur de virtute in virtutem ; aſcenditur ad Deum contemplando, deſcenditur ad proximos eis opitulando; qui ſchalam hanc ineunt, homines ſunt, ſed Angelici aut Angeli corporibus humanis induti; cor & mentem habent Angelicam, ſed reliquum corpus humanum: iuuenili ſunt ſpecie, quod pleni ſunt vigoris & agilitatis ſpiritus : alas habent quibus ad Deum euolent orando ; pedes quibus cum proximis gradiendo ſubſidium illis adferant: vultu ſunt eleganti, & hilari ; quod res omnes ſumma cum pace, alacritate, ac iucunditate peragunt: tibiæ, brachia, pedes, caput nuda ſunt; quod eorum actiones, intentiones, affectiones puriſſimæ, vnam Dei gloriam ſpectent: reliquum corpus veſte, ſed tenui, ſplendenti, byſſinâ coopertum eſt ; quod vtantur commodis, & rebus huius ſæculi, temperanter, purè, moderatè, quoad neceſſe eſt, ad vitæ ſuſtentationem. O vtinam tales Angelos, aut homines Angelicos nos hic iubileus efficiat; in terris corpore, ſed animo verſantes in cœlis. Quemadmodum Moyſes non niſi conſulto propitiatorio, ex eoque receptis diuinis reſponſis populum regebat ; ita

nos, non nisi Deo propitiato eiusque ope diuinâ prolixiùs imploratâ, ad proximorum salutem curandam aggredi conuenit. Nam sine hac ope, vti sæpe dictum est, nihil omnino possumus. Vtrique igitur vacandum & contemplationi & actioni; & contemplationi quidem diutius ac crebrius, quantum & charitas veritatis, & necessitas charitatis postulauerit, vt loquitur S. Augustinus. Quamquam distingui potest 19 ciuita. 19.
actio duplex, vna quæ contemplationem antecedit, vti præuia dispositio, & eius impetrandæ à Deo via est ac ratio, in mortificatione passionum & extirpatione vitiorum posita, in operibus misericordiæ corporalis, & spiritalis; sed huius ratio nimis perfecta & accurata. Altera quæ ex contemplatione nascatur; ex eiusque copia & abundantia redundet in prædicatione verbi diuini, administratione Sacramentorum, in purgatione, illuminatione, & vnione animarum cum Deo suo; hæc actio vix à contemplatione distinguitur, & tanquam effectus causæ ac formæ fructus radici & & origini suæ semper adhęret. De ea S. Augustinus; eligant sibi partem meliorem, 27. de verbis Dom.
quæ non auferetur ab eis, vacent verbo, inhient virtutis dulcedini, occupentur circa scientiam salutarem. *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & in iustitia tua exultabunt:* Psal. 144. 7.
quod chorum & cantum solemnem non habeat Societas, nihil eius per-

fectioni

fectionis derogat; cum potior ſit oratio mentalis, vocali, nec fini Societatis chorus conueniat. Quod moderatione magna vtatur in pœnitentiis & aſperitatibus externis, pro cuiuſque conditione & corporis habitudine, magna eius laus eſt, nam princeps virtutum & auriga diſcretio eſt. Arctiſſimam eſſe regulam noſtram demonſtrat Suares in accurata votorum & regularum obſeruatione. Sed patiamur nos ab aliis Religioſis ordinibus ſuperari ſolemni cantu, auſteritate, & aſperitate, pœnitentiarum, obedientiæ virtute & charitatis aduerſus Deum & proximum zelo, nemini concedamus, Deum vnum ſpectemus, illi nos probemus, hominum iudicia nihil moremur.

CAPVT. XII.

DE QVIBVSDAM NOTIS Eccleſiæ communicatis Societati, quæ minima eius pars eſt, & vltima natu filia.



Melch. canus l. 4. c. 2.

Ix nata erat Societas, quæ IESV nomine inſigniri cupiuit & obtinuit ab Apoſtolica Sede; cum arrogantiæ, propemodum hæreſeos accuſata eſt quaſi penes ſe eſſe Eccleſiam, Donatiſtarum

mere

more gloriaretur: verùm Donatistæ penes se solos Ecclesiam remansisse, reliquo terrarum orbe perijsse falsò gloriabantur: Societas se minimam esse Ecclesiæ Catholicæ filiam, perquam obsequentem, minimamque partem in Ecclesia vniuersali comprehensam, minimam fidelium qui semper in Ecclesia fuere, & sunt, & erunt eius protectione tuti ac securi, congregationem esse profitetur, longè abest ab hæreticorum dissentione, ac schismaticorum obstinatione. Quod toti conuenit, homogeneo præsertim; conuenit & singulis eius partibus; quod generi tribuitur, & singulis speciebus accommodatur; sæpe generis nomen speciei tribuitur, vel quod nihil insigne admodum habeat; vt brutas pecudes animalia vocamus; vel quando deest alia appellatio, vt Spiritus Sancti, quæ tribus personis communis est, tertiæ tamen appropriatur. Quis filiam accuset quæ derelictum aliquem matris suæ titulum, summâ eius vsurpet voluntate, & pro sua aduersus eam obseruantia? sunt & reliquæ fidelium congregationes Societates IESV, eoque nomine potuerunt appellari; sed placuit Apostolicæ Sedi, illud vocabulum adhuc non occupatum, Religioni à S. Ignatio institutæ, tribuere. Quod ait Apostolus; *fidelis Deus, per quem vocati estis in Societatem filii eius Iesu-Christi Domini nostri:* & alter Apostolus Euangelista; *vt & vos Societatem habeatis nobiscum, & Socie-* 1. Corinth. 1. 9.

F tas

tas nostra sit cum Patre & Filio eius Iesu-Christo; genetatim omnibus fidelibus, & speciatim hominibus Societatis conuenit, sunt & homines Societatis humilitate & charitate inter se coniuncti, fratres minores & minimi; sunt & in iis multi prædicatores eximii nec tamen in alienos titulos se immittunt. An non & multæ particulares Ecclesię nominātur quę est Corinthi, Galatiæ, Laodicensium, Thessalonicensium: immo & priuatæ familiæ; *salutant vos,* inquit Apostolus *in Domino multum Aquila & Priscilla cum domestica sua Ecclesia.* Nemo mihi vitio vertat, si illud Ecclesiastici aliis minimè seclusis ordinibus Societati attribuerim, *filii sapientiæ Ecclesia iustorum, & natio illorum obedientia & dilectio.* Quâ ratione nihil obstat, quin & alia nomina atque epitheta Ecclesiæ, ad Societatem quoque traducantur; quod sit domus & ædificium Dei; quod sit grex ouium Christi Selectus, eo pastore securus; quod sit corpus Christi; populus eius acquisitionis; sponsa Christi. Nam si singulæ fideliū animæ sponsæ vere dicantur, & tamen vna sponsa cum tota Ecclesia; multò magis priuatæ fidelium congregationes eâdem ratione sponsæ dicentur: *Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Iam quemadmodum vna est Ecclesia in triumphantem & militantem diuisa; ita & Societas, alia triumphans ac regnans in cœlis, alia militans adhuc, & in terris peregrina degit. Quod alio libro de

1. Ioannis 1.3
2. Corinth. 1
1. Corinth. 6.
2. Thessal. 1.
ad Colo. 4 16.
1. Corinth. 16. 19.
Ecclesi. 3. 1.
2. Corin 11. 2.

de B. V. Sodalitate & Societate ſimul oſtendi, vna eſt, Sancta Catholica, & Apoſtolica.

Vna ſub vno ſupremo capite Chriſto Domino, Romano Pontificæ eius Vicario & Præpoſito Generali Pontifici ſubordinato, a quo ille pendet vno; ſummâ membrorum inter ſe & cum capite coniunctione. Nec ab alia re magis commendari poſſe videtur Societas quam ab hac ſubordinatione mutuáque omnium membrorum connexione & charitate; vnus eſt exercitus, in quo varij tamen ſunt ducum gradus, & ordines, Cum Eccleſia nobis *vnus eſt Dominus*, *vna fides*, *vnum baptiſma*. Ad Eph. 1.

Sancta, quod Deo dedicata ſit ac conſecrata, diuino cultui addicta & deuota cum ſancto capite Chriſto Domino totius ſanctitatis fonte coniuncta, ſanctiſſimis vtens ſacramentis; ſanctiſſimis conſtans regulis ac conſtitutionibus, ad ſanctitatem & innocentiam ſanctis exercitationibus virtutum omnium adſpirans, quodque, Dei gratiâ, ſanctis abundet viris, eximiâ ſanctitate, dono prophetiæ, & miraculorum illuſtribus.

Catholica toto terrarum orbe diſperſa, non in Europa modo, ſed & quaqua verſum Aſia, Africa, America, India vtrâque, Orientali, & Occidentali, Iaponia, China, Peruana, Mexicana Regione, Miſſionibus ac Domiciliis conſtitutis apud exteras gentes & infideles, quarum multas myriades iam ad

Christi fidem perduxit, quaìque christianis moribus ac pietate pergit excolere.

Apostolica, quam in Apostolica B. Petri cathedra considentes Episcopi Romani, Christi Vicarij, quotquot opinor ab instituta Societate fuerunt, diplomatis suis approbarunt, multis auctam & ornatam ab se priuilegiis, in suam suscepere tutelam. Sed quoniam vocabulum istud Catholicam & Apostolicam, antiquitatem quoque temporis insinuat, quo primum orta, & ab Apostolis fundata sit Ecclesia, aut potius à Christo per Apostolos in vniuersum mundum propagata: neque hâc quidem laude caret Societas, quę rectissimè noua-antiqua dicatur & à Christo Domino Apostolisque originem traxisse comprobetur. Nam si quod pluribus confirmat & rationibus & auctoritatibus P. Hieron. Platus constiterit statum Religiosum, primùm in lege vereri designatum, tum ab ipso Christo institutum, in ipsis Apostolis, eorumque tempore maximè viguisse, & ad nostra tempora deinceps propagatum fuisse, præsertim in religiosis Clericorum ordinibus; cùm in eis censeatur Societas, nemo de Societatis antiquitate iure ambigat, quineandem illam in Christi Domini & Apostolorum collegio recognoscat, in sanctissima illá familia Christi domesticorum, in qua Paupertas, Castitas, Obedientia, quæ sunt Religiosi status firmamenta, quibus continuetur & consequitur, etiam

l. 2. de bono status Religiosi.

cum

cum voti religione & summa quæ cogitari potest perfectione, seruabantur. Quæ disputatio latius omnino se porrigeret, nec huius libelli contineretur angustiis: quare id vnum assero; consilia Euangelica, & Societatis specialia quædam instituta, ex Euangeliis haud obscurè deduci ac confirmari, & hanc summam laudem ac perfectionem ordinis nostri fore, si ad eam viuendi rationem, quam Dominus in terris cum Apostolis agens tenuit, imitatione ac sequelâ aliquâ licet non parum dissitâ, eum ope ejus gratiæ, potuerit attingere. Nihil certè nec in doctrina nec in religione, & Dei cultu, nec in vita ac moribus nouum & inusitatum sequitur Societas; quod non cum Christi Domini, Apostolorum, totiusque Ecclesiæ doctrina, religione ac vita planè consentiat: Christi Domini imprimis tum & Apostolicorum virorum vestigiis insistere contendit; eandem morum ac vitæ semitam tenet; eorum doctrinam omnem, disciplinam, ac diuini Numinis colendi rationem amplectitur, aduersariasque omnes sectas atque hæreses ex animo detestatur; tum & à prima sui origine & institutione ab Ecclesia matre in gremium veluti receptam, agnitam, ac velut vltimo natu filiã, tam benignissimè habitam ac defensam se esse summè gloriatur. Kemnitius apud Payuam à SS. Pontificibus excogitatã scribit Socitatẽ vt labentem Romanã Ecclesiã aliquo modo fulciret. Fallitur

homo Lutheranus, dum labentem Ecclesiam sibi fingit, quæ super immobili petra Christo Domino, eiusque Vicario fundata est ac stabilita; aduersus quam portæ inferi non præualebunt, Iterum fallitur dum opprobrio ducit Societati, à SS. PP. esse institutam, quod Societas summo sibi ducit honori. Paulus III. qui primus confirmauit habet; per me institutam, & approbatam; sed non, per me excogitatam, instituit, suggerente & humiliter deprecante cùm primis sociis S. Ignatio, quod eius beneficium in sæcula omnia Societas agnoscet ac Farnesianæ familię, vel hoc nomine clientem se esse lubens profitebitur. Nisi sunt Lutherani, hæreseos suę annum sęcularem celebrare, imprudenter & impudenter; cum ea ipsa re nouitatem, suæ sectæ & doctrinæ falsitatem toti mundo propalarint; quę ante natum Lutherum omnino non fuerit. Si bonam partem hęreseon attenderis, aut in Simone Mago, Ario, Aërio, Iouiniano, & Ioanne Wicleff, aliisque hęresiarchis pridem damnata fuerit: quorum impuros errores resorbuit Lutherus, aut quorum è sterquilinio collectis sordidissimis pannis variè conscissis ac laceris nouum centonem Euangelicæ reformationis consarcinarit. Ægerrimè ferunt Nouatorum agnomen, quod à Baronio aliisque crebius omnino quam velint illis attribuitur: sed quidni Nouantes & Nouatores appellentur, qui nouæ suæ sectę Lutheranę

therane primum annum sęcularem celebrarint, & quot annis hoc interuallo, nouas fidei formulas procuderint, & sub nundinas Francofordienses in lucem emiserint? Quęsierit quispiam ex hiscè Lutheranis: Primis hisce centum annis, quibus interea miraculis claruerint? quibus viris eximia sanctitate pręstantibus? quot infideles ad fidem perduxerint? quando extra popinam & cyathos ad Euangelium prædicandum, Orbem peragrarint? Qui cum magistro Luthero conuenerint eius discipuli Corlostadius, Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus? An Lutherum & Caluinum planè per omnia dogmata magistros sequi & tueri se profiteantur? An suomagis iudicio cerebroque nitátur, nemini astricti, nullius assueti iurare in verba magistri? sed missos faciamus ab hac sacra tractatione prophanos homines: Ex P. Francisco Suares cuius doctrinę magna merito apud omnes est auctoritas, qui de Societatis instituto iustum volumen euulgauit, de eisdem communibus Ecclesiæ & Societatis notis ac laudibus, pauca adjiciamus.

CAPVT XIII.

SOCIETATEM NON SINE *speciali motu & instinctu Spiritus Sancti institutam.*



VT Deus summus vnus Ecclesiæ fuit architectus, & fundator, ita fuit vnus ipse pro sua bonitate Societatis primus ac summus institutor: eam sane non esse humanum inuentum, neque à S. Ignatij ingenio iudicióue excogitatam, aut humanâ sapientiâ ac prudentiâ dispositam, sed speciali instinctu ac motu Spiritus S. conceptam ac perfectam fuisse, probat Suares auctoritate Roman. Pontificum; qui compluribus bullis sacrum hoc institutum approbarunt ac cõfirmarunt; quod ipso primo statim aditu Paulus III. velut è cœlo delapsâ voce præsignificarat cum exhibitam legit formulam instituti; digitus Dei hic est. Nõ tribuitur institutio Societatis Spiritui Sãcto, eâ solum generali ratione, quâ omnia pietatis opera ab eo dimanant, sine cuius ope nec inchoari, nec perfici possunt; sed speciatim quòd à singulari Spiritus Sancti prouidentia, quâ vniuersam regit ac protegit Ecclesiam, singulari directione, motio-

ne,

ne, & inspiratione ac in prẹcipuis suis partibus, ausim dicere, certâ reuelatione, duxerit originem.

Quamquam expressa reuelatione non fuerit, opus, tamen in ijs quę pertinent ad instituti substantiam, illa potuit accessisse; quin certè specialem S. Ignatius inspirationem ac directionem acceperit â Spiritu Sancto, ne quando posset abberrare à veritate & vtilitatibus Ecclesiæ, dubitandum non est: quod ipsum generatim de ordinibus religiosis cõsultus à S. Ignatio P. Laynez, qui eorum omnium primordia atque instituta perlegerat, aliquando respondit, ejusque responsum confirmauit S. Ignatius, nec obscurè docet hoc ipsum prooemio Constitutionum: quamuis summa sapientia & bonitas Dei Creatoris nostri, ac Domini, sit quæ conseruatura est, gubernatura, atque promotura in suo sancto seruitio hanc minimam Societatem IESV; vt eam dignata est inchoare. Annum integrum in vrgenda & obtinenda Societatis approbatione posuit S. Pater, cùm instituti formulam obtulisset Anno 1539. eamque Pontifex quatuor cardinalibus eximiâ doctrinâ, prudentiâ, ac virtute præstantibus examinandam tradidisset, in quibus erat Cardin. Guidiccionius, à nouis ordinibus erigendis alienissimus, quod omnes ad quatuor reuocare vellet, qua de re librum ediderat; tamen eo ipso cõprimis probante anno 1540. approbationẽ obtinuit,

obtinuit, cum retrictione numeri Professorum ad 60; quæ restrictio triennio post omnino sublata est; & tunc S. Pater tria millia sacrificiorum, quæ Deo vouerat à suis paucis, miro omnium gaudio, curauit exsoluenda. Nempe in condenda Societate S. Pater, & primi eius Socij, non mediocriter laborauerunt, nos in eorum labores introimus, amplissimamque spiritalium bonorum ac gaudiorum messem, ex eorum laboriosa semente colligimus. Non repetam hîc illam vulgò notissimam probationem, quam persequitur quoque Suares, ex oportunitate temporis, quo Societas instituta est cùm Lutherus ex orco pernitiosissimas eduxit hereses, & Romanę Ecclesiæ nefarium indixit bellum; cùm & Euangelio disseminando nouus Indiarum patefactus est orbis; illi insistam probationi quam deducit Suares à fructibus quos in Ecclesia Societas edidit. Nam si verum est illud Christi Domini pronuntiatum, vti est verissimum, *ex fructibus eorum cognoscetis eos. Arbor bona bonos fructus facit*; ex fructibus quos Societas protulit ac profert in Ecclesia, eius institutio sancta non obscurè demonstratur, de quibus fructibus luculenta habemus testimonia SS. Pontif. quę sunt illustria Societatis encomia omni eius spe & expectatione superiora.

Matth. 7.20.

Paulus III. in bulla 3. & 4. ad Societatem Iesv: per nos institutam & approbatam

tam cuius ſpecimen, velut ager fertilis in Domino multiplices atq; vberes fructus animarum ad ſummi Regis laudem, & fidei incrementum, attulit, atque affert quotidie verbo & exemplo in populo Chriſtiano.

Pius V. in ſecunda bulla: innumerabiles fructus quos benedicente Domino, Chriſtiano orbi Societas Iesv viros litterarum precipuè ſacrarum ſcientiâ, Religione, vitâ exemplari morumque ſanctimoniâ perſpicuos, multorum Religioſiſſimos præceptores, ac verbi diuini, etiam apud longinquas & barbaras nationes, quæ Deum penitus non nouerant optimos prædicatores & interpretes prouidendo fœliciſſimè adhuc attulit.

Gregorius XIII. quanto fructuoſius in colenda Domini vinea ſe exercet veneranda Iesv Societas, digniſque æternâ mercede operariis abundare conatur, tanto propenſius contendimus eam, Religioſamque ſubinde quam inſtituit prolem, vnde tota Reſp. Chriſtiana vbique ſubleuatur, proſequi, & confouere. In altera bulla; Aſcendente Domino, etiam prolixius.

Acceſſerunt ampliſſime Bullæ Gregorij XIV. & Pauli V. quâ ſanctum & laudabile inſtitutum Societatis, eiuſque propria ratio gubernandi, ſuperiorumque omnium Pontificum indulta ac priuilegia confirmantur ac denuo conceduntur. Eodemque referri poſſunt S. D. N. modò præſidentis Eccleſię

Ecclesiæ Vrbani VIII. litteræ decretales Canonizationis S. Ignatii Loiolæ Societatis fundatoris & S. Francisci Xauerij Indorum & Iaponiæ Apostoli.

Præterire non possum, tum diuino nutu Societatem institutam, cùm proximè habendum foret Generale Tridenti Concilium Episcoporum totius orbis Europæi doctissimorum ac sanctissimorum, apud quos ipsa se probare posset, suæque virtutis & eruditionis specimen dare; tum & operam haud vulgarem conferre in coarguendis hæresibus, fideique decretis condendis; vt PP. Laynez & Salmeronis vitæ testantur: eaque fuit origo plurimorum in Hispania, Gallia, Germania vtraque Collegiorum. Addam nunquam fere magis effloruisse Romanam sedem ac Petri primatum, quàm ex quo cœpit ab hæreticis Luthero, Caluino, cæterisq; oppugnari. Deus Opt. Max. ex eo tempore prouidit Ecclesiæ SS. Pastores illustri sanctitate ac virtute, prudentiâ, doctrinâ, vigilantiâ, ac vniuersi gregis curâ conspicuos; qui non tam verbis quam factis atque exemplis hæreticorum peruicaciam confunderent; è quibus qui Tridentinum indixerunt ac probarunt, ijdem & Societatem, Paul. III. Iulius III. Paulus IV. Pius V. Greg. XIII. Greg. XIV. Clemens VIII. Paulus V. Greg. XV. Vrban. VIII. denique, ad omnem posteritatis memoriam semper a nobis omni laude cele-

brandi

brandi. Sed ad Suarez reuertor; is obseruat præterea, quibus notis Ecclesia ac Christiana religio commendata fuit vnquam, vt à Deo profecta; ab eisdem societatem haud vulgariter commendari posse.

Primò ab innocentia & sanctitate vitæ, quâ primi Patres eius fundatores excelluerunt. Quemadmodum Apostoli & Apostolici viri eximia sanctitate floruerunt, plusque eâ quam eruditione sacra vel miraculorum etiam gloriâ, ad Euangelium disseminandum, ac fundandam Ecclesiam contulerunt: ita S. Ignatius & eius socij ad societatis institutionem, propagationem, ac commendationem plus ipsâ vitæ sanctitate quam vllâ ratione aliâ profuerunt: Quorum ego nomina, cognomina, diæceses, ordinem vocationis, diem, mensem, annum quo quisque obiit commemoranda duxi, vt vel hoc tenue meum erga eos obseruantiæ monumentum extet.



Decem

Decem primorum Societatis Patrum Nomina, cognomina, Nationes, Diœceses, Ordo vocationis, Dies, Mensis, Annus, & Locus, quo quisque obiit.

Vocationis ordo.	*Nomen.*	*Cognomen.*	*Natio.*	*Diœcesis.*	*Ordo obitus*	*Locus.*	*Dies.*	*Mensis.*	*Annus.*
I.	S. P. Ignatius	Loiola,	Cantaber,	Pāpilionēs.	5.	Romæ.	31.	Iulij.	1556.
II.	P. Petrus	Faber,	Allobrox,	Gebennen.	2.	Romæ.	1.	August.	1546.
III.	S. P. Franciscus	Xauier,	Nauarręus,	Pampilon.	4.	In Sãctio insula.	2.	Decemb.	1552.
IIII.	P. Iacobus	Laines,	Hispanus,	Segũtinen.	7.	Romæ.	19.	Ianua.	1565.
V.	P. Alphonsus	Salmeron,	Hispanus,	Toletan.	9.	Neapoli.	13.	Febru.	1585.
VI.	P. Simon	Rodericus,	Lusitanus,	Visen.	8.	Olysipone.	15.	Iulij.	1579.
VII.	P. Nicolaus	Bodadilla,	Hispanus,	Palentinē	10.	Laureti.	23.	Septemb.	1590.
VIII.	P. Claudius	Iaius,	Allobrox,	Gebennen.	3.	Vienæ Austriæ.	6.	August.	1552.
IX.	P. Ioannes	Codurius,	Gallus,	Ebredunen.	1.	Romę.	29.	August.	1542.
X.	P. Paschasius	Broëtus,	Gallus,	Ambianē.	6.	Lutetiæ.	14.	Septemb.	1562.

Coiêre primum Societatem Parisiis, anno 1534. septem priores, ad quos accesserunt tres posteriores, anno 1535. Ribad. Lib. 2. cap. 4.

Quam præclara nobis pietatis, & aduersus Deum proximosque charitatis exempla reliquerint habet historia Societatis: horum vestigiis, qui proximè consecuti sunt, sedulò institerunt, hodieque, quoad cum ope diuinæ gratiæ licet, insistunt, puritati conscientiæ, & Religiosæ omnis perfectionis studio, continua mortificatione sui, & oratione dantes operam. Hoc argumento à sanctitate eorum qui Christianam fidem profitebantur vsus est Eusebius & S. Aug. 2. contra Iulianum.

Secundò sancta societatis institutio probari potest à charitate fraterna, maximaque animorum concordia ac consensione, per Dei gratiam in societate conspicua; de qua Dominus *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis adinuicem.* *Ioanis 13. 35.* De veteribus Christianis notissimum illud Tertuliani: vide vt se diligant, vt alter pro altero mori parati sint: vnam hanc è præcipuis Ecclesiæ notis, vnionem membrorum inter se, & cum capite Romano Pontifice, Irenęus, Cyprianus, D. Leo, aliique tradunt apud Bellarm.

Quæ nota profectò conuenit Societati; *1. de Eccle. 10.* cui precipuè cordi est fraterna charitas, tum & obedientia S. Pontifici, ac superiobus deferenda; quam vtramque virtutem, veluti tesseram dixerim, quâ se vehementer optet à cæteris ordinibus dignosci atque discerni, in cuius vtriusque exercitatione,

ne, nolit cuiquam palmam ac primas concedere.

Tertiò ratiocinantur Patres à firmitate, constantia, perseuerantia, imo & incremento Ecclesię, in continuis & grauibus persecutionibus: non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana quæ singula cadunt multiplicata nascuntur D. Leo & sanct. Augu. in illud Psal. 57. Ad nihilum deuenient sicut aqua decurrens. Quas persecutiones toto terrarum orbe passa sit societas, haud est obscurum; vtque iis minimè cesserit sed instar palmæ victricis altius se semper extulerit ac propagarit. Verissimè illi conuenit quod de nascente primum Ecclesia Gamaliel *legisdoctor honorabilis vniuersæ plebi* pronuntiauit *si est ex hominibus consilium hoc aut opus dissoluetur; si vero ex Deo est non poteritis dissoluere illud; ne forte & Deo repugnare inueniamini.* Vt aduersus Ecclesiam ita societatem, eius filiam ac partem minimam, portæ inferi non præualebunt nec tyranni, nec hæretici, nec falsi fratres illam aliquando subruent, ac labefactabunt; non exarescet instar ficulneæ à Christo maledictæ, aut alterius quæ primis annis fructus non tulerat, post triennium exscindendæ: sed instar Oliuæ fructificabit ac multiplicabitur in domo Domini; aut vti dixi, instar palmæ senescentis, quo veterascet amplius eò fructus feret suauiores atque vberiores.

serm. 1. de SS. Aposts. Pet. & Paul.

Actor. 5.38.39

Quarto

Quartò ex ſanguine Martyrum quo irrigata & purpurata eſt Eccleſia, dignitatem eius confimant SS. PP. Iuſtinus inter alios apologia pro Chriſtianis. Habet & Societas Martyrum ſuorum centurias, quorum ſacro ſanguine confirmata, ſtabilita, fœcondata, ac mirabiliter aucta & ornata, de quibus Martyribus Pius V. Pontifex: eorum aliquos ita Domini amor perſtrinxerat, vt etiam proprij ſanguinis prodigi, vt verbum Dei inibi efficacius plantarent, Martyrio voluntario ſeſe ſuppoſuerint. Quis eorum Martyrum laudes dignè recenſeat, qui Pium ætate diu conſecuti ſunt? Quis vel ſolum enumerare ſufficiat quot in Germania, Anglia, India, Iaponia, hoc ipſo ſæculo Martyrii palmam admirabili conſtantia & fortitudine retulerunt.

Ad Martyrum palmas adiunxerim eorum eximiam charitatem qui ſe peſtifera lue laborantibus adiuuandis certo diſcrimini plurimi obtulerunt quos in pace Martyres verè dixerim, fœliciſſima morte conſummatos, qui pro fratribus animas ſuas poſuerint; ſed erit qui tum horum, tum aliorum Martyrum centurias colligat.

Poſtremò maximi miraculi loco habita eſt à S. Aug. mundi conuerſio, fidei & Eccleſiæ propagatio, per duodecim homines idiotas non armorum vi ac potentia ſed vitæ & doctrinæ præſtantia. An non proportione quadam admiranda eſt diuina bonitas ac

prouidentia in Societatis propagatione, non modò per Europā vniuersam, sed in altero nobis aduerso atque Antipode terrarum orbe, in America, India vtraque Orientali & Occidentali, Iaponia, China, tam exiguo temporis interuallo; non contenti terrarum finibus ait Pius V. vsque ad Orientales Indias penetrarunt, in quibus fidem plantarunt, myriades animarum ad Christum Dominum conuerterunt. O præclaros duces ac milites Societatis, quos si non possumus imitari suspicere rectè ac venerari debemus, gaudere, ac gratulari, quod eorum laborum ac meritorum participes nos fieri confidamus. O sanctissima societas, benigna mater, quas tibi gratias agam & habeam, quod in tuo me gemio à prima adolescentia suscepisti, honestissimis artibus ac studiis instituisti, & ad omnem, si mihi ipse non defuissem, virtutem incitasti; quod me toleras & foues tuorumque filiorum exemplis, doctrinis, ac meritis sustines degenerem, sed vtinam non ingratum alumnum. *Particeps ego sum omnium timentium te & custodientium mandata tua, misericordia tua,* Clementissime Saluator *plena est terra*; sparsâ per orbem vniuersum societate *iustificationes tuas doce me*, sanctissimæ tuæ societatis institutiones, ordinationes, adhortationes ad vsque vitæ finem teneam & te bene iuuante custodiam. Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum vt sciam testimonia tua. Da mihi intelle-

Psal. 118.

ctum

ctum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Intellectum da mihi & viuam: da mihi intellectum & discam mandata tua. Iuxta eloquium tuum da mihi intellectum. *Psal. 118.*

CAPVT XIIII.

CVM IVBILATIONE NON pugnat Gemitus columbæ nec ei vox turturis officit.



PICTETVS duplicem ansam cuiusque vasis ac rei spectandam inquiebat, & interesse, quanam sinistra an dextra sumeretur; sunt imagines quædam cancellatæ, quarum duæ sunt facies quæ vno ex latere virginis eleganti specie ac forma viuentis effigiem, ex altero eiusdem mortuæ deformatam, aspectu tetram & horribilem representent Ad eum modum sacræ Religiosorum ordinum familiæ (ipsaque earũ mater Ecclesia, quæ simul nigra est & formosa exterius nigra sicut tabernacula cedar, interius formosa sicut pelles Salomonis) ex variis, quibus constant membris ac partibus, spectari possunt; & in bonis quorum si non maxima semper at potissima pars est, vigent ac florent, omnique specie ac pul- *In Enchiridio.* *Cant. 1.*

chritudine nitent, vel vt in malis deformantur, & intuentibus horrorem mæroremque incutiunt. Si de ipsa Christi Domini Passione, & lætandum nobis est cum fructum eius attendimus humanæ redemptionis, & ingemiscendum ac dolendum quod tam acerbos nostri causa cruciatus Saluator tolerarit, idque tam exiguo plurimorum fructu, nemo mirabitur, si & de societate, cæterisque Religiosis familiis iubilandum, ac confessionem laudis actionisque gratiarum Deo reddendam dixerim; sed vna cum confessione peccatorum & ingratitudinis nostræ; neque pugnare, cum iubilatione gemitum columbæ modò dicere aggredior. Est quoddam genus lacrymarum gaudii & ardentis in Deum amoris, ad eum suspirantis, & in holocaustum sese illi immolantis, quod cum iubilatione maximè conueniat; verum nec aliud lacrymarum animi contriti ac pœnitentis, sua deflentis peccata, cum gaudio & iubilatione pugnat. Nam & lacrymæ pœnitentium, vinum sunt Angelorum ipsorumque etiam pœnitentium, quibus suauissimè inebriantur, & de ipso suo mærore gaudent eximiè. Sed quorsum hæc? Scripsit Illustriss. Cardin. Bellarminus tres libros de Gemitu columbæ, eosque optimæ matri suæ societati, cuius lac à prima suxit adolescentia, ac multis deinceps annis senex aliis eius filiis, è quibus & me esse glorior in Domino, cum Rectorem ageret Collegij Romani 1592.

& nos

& nos eius alumnos, & verbis & frequentibus monitis, & præclarissimis sanctissimæ vitæ institueret exemplis; matri inquam, suæ societati dedicauit, eam ad plangendum & lacrymas inuitans: sed non eam solam, reliquos ordines religosos secludens, aut quicumque se lectores offerrent, cuiusque gradus, ordinis, & conditionis; non enim libri ijs solis scribuntur, quibus inscribuntur, nec Euangelium Lucæ nec Actus Apostolorum vni Timotheo nec Apostoli Pauli epistolæ solis Romanis, aut Corinthiis scriptæ sunt: quare non solum societatem optat plangentem, imo vniuersam Ecclesiam gementem facit columbam, cuius verum & viuum membrum sit societas, vti sunt & alij ordines. Secundo libro sextum lacrymarum fontem aperit ordinum Religiosorum relaxationem eumque fontem duplici visione S. Pachomij Abbatis, & S. Francisci Assisiatis confirmat. Addere potuit & tertiam PP. Dominicanorum, quam refert ex eodem ordine Antonius Senensis, cui & aliæ affines extant in eorum Chronicis, vulgari scriptis idiomate; expressit quidem vetustiores ordines Benedicti, Dominici, Francisci, Bellarminus, quorum sæpe reformationes cœptæ, & innouatæ, ac vulgata, pro dolor! scandala: non exclusit tamen nec Societatem, nec alios recentiores ordines in quibus aliqua relaxatio aut deformatio plangenda foret, & omnium inquit aliorum sanctorum, qui ordines Reli-

giosos instituerunt; inter quos haud dubiè S. Ignatius, cum SS. Norberto, Brunone, Romualdo numerandus. Filij & nepotes qui nos sumus, per multos annos, ita sanctè piè perfecteque vixerunt; vt vel omnes, vel eorum maxima pars insigni sanctitate floruerint postea tamen multiplicari cęperunt Regulares sine numero, ac multi non à Deo vocati, sed aliis rationibus adducti Monasteria compleuerunt, & impletum est illud Isa.
Isai. 9. 3. *multiplicasti gentē, & non magnificasti lætitiam.* Inde nata sunt scandala grauia, & multiplicia quę materiam vberem prębeant columbę gemendi, plangendi relaxationem, ne dicam corruptionem ordinum religiosorum. Quos inter si Societatem suam expressè non retulit id fecit decori causa, & obseruantię erga optimam parentem, in qua nec relaxatio, nec corruptio morum Deo laus hactenus obseruari potuit, etsi quędam passa sit scandala membrorum inutilium, ac noxiorum quę mox à corpore reiecta sunt. Nec norbertinos, nec Camaldulenses, nec Chartusianos nec Cistercienses nominauit, nec vsquam Bellarm. duas classes constituit, deplorandorum ordinum vnam, & alteram deplorantis Societatis; in qua & quędam esse deploranda non ignorabat: An non initio capitis generatim loquitur? Ordines Religiosi (quos inter Societas) quemadmodum in suis bonis membris materiem præbent fidelibus omnibus gloriandi, & Deum laudandi (iubilandi)
sic

ſic etiam è contra in membris ſuis malis fontem nobis aperiunt inconſolabilium lacrymarum; an non vniuerſim caput iſtud conclusit, ex quibus omnibus agendas eſſe gratias Deo, cum ingenti lætitia, pro tot ſanctis hominibus quos ordines Religioſi Eccleſiæ Catholicæ pepererunt, & in dies pariunt, & ſimul fundendas lacrymas, pro deformatione, quam paſſa eſt tam illuſtris portio gregis Chriſti, & ſimul orandum aſſiduè Deum, vt conuertat corda patrum in filios, & relaxatos filios ad prudentiam ſpiritualem, & feruorem cordis patrum iuſtorum; ſi pro quopiam ordine precandum ſibi, aliiſque credidit; pro Societatis ſibi amantiſſimo credidit, ex quo ſi qui relaxati forent adhortatus erat eos ad gemitum & lacrymas; ſeniores exemplis SS. Ignatii & Xauerii, iuniores Staniſlai Koſkę & Aloyſij Gonſagę; nec ignorabat ipſe productum a ſe teſtimonium, ad ſocietatem quoque referri poſſe, quam dixerat columbę non modo ſimplicitatem, ac gemitũ, ſed velocitatẽ ac fœcunditatẽ adeptam quę totũ pene complexa foret orbẽ, nec illud eum latebat vulgatum S. Aug. quod Epiſt. referturin decretis. Quantumcumque vigi- 137. let diſciplina domus meæ &c. ſed hic erat eius animi ſenſus, qui S. Auguſtini: etſi triſtamur de aliquibus purgamentis, conſolamur tamen de pluribus ornamentis; nolite ergo propter amurcam, quâ oculi veſtri offenduntur, torcularia deteſtari, vnde apotechę dominicæ fructu olei luminoſioris implentur. De Bel-

larmini laudibus ac virtutibus non est hic dicendi locus, quę sunt orbi toti notissimę, vt nec testimonium nec laudationem exigant. Neque vero magis purpurâ semel iterumque reiectâ, tandem imperante S. Pontifice receptâ, suisque, verè dicam, sanctissimis moribus honestatâ; quàm doctrinâ & sanctitate claruit Neque item mihi animus est refutandi libelli cuiusdam ex variis auctoritatibus & incertis historiis consarcinati, cui vox turturis pro titulo data, mortuo pridem, &, vt confidimus in cœlos recepto Bellarmino. Ipsius sequar Bellarmini dictum familiare· Melior est vncia vna charitatis, quam libra integra veritatis. Admoneo dumtaxat Auctorem illum, sine causa suspicari librum, vt ait quidem, attitulatum de gemitu columbæ, non esse ipsius Bellarmini, aut ibi supposita quędam esse incerta, quod aliàs oculis columbinis visus esset status ordinum mendicantium decorus ac formosus; nempe cum aduersus hęreticos scribit. Tertiò & vltimo probatur ex euentu; nam hoc genus vitę innumeris signis & prodigiis confirmatum est, quę Deus edidit per SS. Dominicum & Franciscum auctores huius vitę: deinde ab eo tempore conuersio gentilium, confutatio Hęreticorum, pietas populi Christiani, conseruatio Theologię, & innumera alia bona Ordinibus Mendicantium maxima ex parte accepta sunt referenda. Si ab eo tempore, inquit Auctor quidam, vsque ad pręsens, ex

l. 2. de Monach. c. 45.

verbis


verbis istis, tam floret mendicantium status, iuxta mentem piissimi fidei athletæ; corruptus dici non potest, & fructus vinearum nullo modo á spinarum scandalis læsionem patiuntur: & mox allegat Augustinum: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*: vnde appellat spinas, nisi propter malignitatem morum, & eas vnde filias, nisi propter cõmunionem Sacramentorum? floret ergo Mendicantium Ordo propter egregias fruges; & tamen ob spinas quibus obsitus est, ex ea parte corruptus est, & oculis columbinis corruptus videri potuit. Vtinam dolendum non sit maiorem esse spinarum quã frugum copiam! euellendæ spinæ, colligendæ bonæ fruges, hæ probandæ, illæ deplorandæ. Aliud tempus flendi, aliud ridendi & iubilandi. Aliæ causę ob quas religiosis familiis sit gratulandum ac colletandum; aliæ ob quas compatiendum & vehementer dolendum, quod tanta sit copia palearum, vt vix in area tritici grana recognoscantur. Fateamur cum Bellarmino, cuius memoria in benedictione sit: cum omnis ordo initio ferueat & multos homines excitet ad pietatem, paulatim autem postea feruorem illum remittat; Deus subinde nouos ordines excitando, quasi perpetuo feruorem in Ecclesia, nunc per hos, nunc per illos conseruat. Certè si quis legat vitam & res gestas SS. Antonij, Benedicti, Bernardi, Brunonis, Dominici & aliorum (Franciscum & Ignatium non nominat, neque

3. contra cresc. cen. 38.

l. 2. de Monachiis c. 3

que tamen præteritos cupit) qui aut nouos ordines instituerunt, aut veteres iam pene collapsos restituerunt, is fatebitur esse verissimum quod diximus de mirifico ardore in studium pietatis, & multorum hominum conuersione a peccatis ad Deum per nouos ordines religiosos. Hoc & a me scriptum est contra mendaces Caluini calumnias: ex hæreseos malis pro sua bonitate id commodi Deum obtinuisse, vt quamplurimi Ordines Religiosi nouum feruorem conciperent, ac velut exutâ vetustate renascerentur ac redintegrarentur. Quamplurimi item noui tum Clericorum, tum Monachorum excitarentur ac fundarentur; vt non tantum verbis, sed factis atque exemplis damnatam Diaboli atque Epicuri Sectam confunderent. Gaudeamus igitur de tot Ordinum instauratione, & vt vox Turturis præcinit de aliquorum virore, doleamus de aliquorum ariditate. Vtinam hyems plane transierit, quæ multorum pectora congelauit; ac ver perpetuum illuxerit, quo recalescamus, & instaurato feruore pristino reflorescamus. Amen.

l. 2. de Contin. c. 24.



CAPVT. XV.

CAPVT XV.

DE PRÆROGATIVIS SOCIEtatis quatuordecim, enumeratis à P. Aluarez. De prioribus septem.



SANCTÆ memoriæ P. Baltasar Aluares, vt auctor eius vitæ P. Ludou. à Puente refert, consueuerat in suis ad Nouitios adhortationibus quatuordecim societatis prærogatiuas proponere, scripturis sacris illustratas, quibus ad instituti nostri perfectionem extimularentur. Quasdam ex iis mutuatas, & alias alio ordine mihi referre propositum est, quibus ad amorem instituti laudem B. P. Ignatij fundatoris, aduersus eum & Deum imprimis omnis auctorem & inspiratorem boni Consilij, gratitudinem animi prouocemur. Ne lectorem meum diu teneam suspensum, breuiter eas enumero. 1. multiplex probatio &, exercitatio Nouitiorum. 2. diuisio membrorum & graduum. 3. Regimen Monarchicum Aristocratia temperatum. 4. virtutis pretium & æstimatio; dignitatum & honorum omnium seclusio. 5. Ratio viuendi communis & moderata. 6. Ratio redendæ conscientiæ. 7. Paterna gubernatio in spiritu amoris. 8. Annua recollectio, & vsus

vsus spiritualium exercitiorum. 9. Exacta votorum obseruatio. 10. Crebra sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ vsurpatio. 11. Scholarum & iuuentutis institutio. 12. Missiones & adeas obeundas speciale votum Pontifici factum. 13. Mutua charitas & coniunctio. 14. Dimittendi facultas. 15. Externę persecutiones. E quibus prerogatiuis nonnullas Ordinibus Religiosis communes esse non infitior: & absit minimam Societatem cum ijs componere velim, qui sunt antiquitate, sanctitate atque omni præstantia excellentiores; sed ad Dei Opt. Max. maiorem gloriam, Beatique Patris institutoris nostri laudem, hæc non vulgaria Societatis ornamenta ac munimenta, quibus in diuino obsequio se tueatur & oblectet expendere ac mentibus nostris altius infigere cupio, nę tantorum donorum immemores aut incogitantes diuinæ munificentię simus ingrati; vt super eis iubilemus Deo nostro gaudentes ac gratulantes.

I. Ex prima Tyrocinij institutione cæteras vitæ Religiosę partes pendere nemo est qui nesciat: Nisi probè & altè iacta sint fundamenta superstructam spiritalis ædificij molem diu stare non posse; quod dicere consueuerat B. P. Borgia: Qualis quis fere Nouitius extiterit, talem & scholasticum & operarium professum aliquando fore. Sapienter igitur admodum S. P. Ignatius biennium probationis instituit antequam ederentur vota scho-

ſcholaſticorum, & mox ſtudiis expletis tertium adiecit annum ad pleniſſimam vitæ ſpiritualis inſtitutionem. Quibus annis nulla foret alia cura, nulla cogitatio niſi de profectu ſpiritali, de purganda conſcientia, de paſſionum mortificatione, virtutum exercitatione de extirpatione omnis amoris proprii, abnegatione iudicij ac proprię voluntatis, de obedientiæ atque cum Deo conſuetudinis vſu perpetuo, meditationes, collocutiones omnis generis exercitationes ac penitentię in eum finem ſuſcipientur. Expertis loquor quantum hoc ſit bonum Nouitiatus ſeparati ac multiplicis probationis ad profectum ſpiritualem.

Diſtinctio verò graduum ac variorum in Societate membrorum, munerumque diſtributio non ad ſpeciem modò & pulcritudinem totius corporis; verum & ad firmitatem ac robur, & ad eum quem ſibi propoſitum habet ſcopum ſalutis animarum pertinet. II.
Qualis erat in Rep. Romana Senatorum, Equitum, plebeorum, tribuum, tum & variorum officiorum partitio: Qualis in aliis Ordinibus Eccleſiaſticorum, Nobilium, Magiſtratuū ſubordinatio ac cōſenſio ad cōmune bonum patriæ; talis eſt omnium hominum graduum, ac munerum, ad maiorem Dei gloriam, animarumque ſalutem, ac perfectionem, conſpiratio: tum profeſſi penes quos propriè eſt Societas, vt eminent gradu, ita doctrinâ & ſanctitate cæteris anteire, ac

commune

Decem primorum Societatis Patrum Nomina, cognomina, Nationes, Diœceſes, Ordo vocationis, Dies, Menſis, Annus, & Locus, quo quiſque obiit.

Vocationis ordo.		*Nomen.*	*Cognomen.*	*Natio.*	*Diœceſis.*	*Ordo obitus*	*Locus.*	*Dies.*	*Menſis.*	*Annus.*
I.	S. P.	Ignatius	Loiola,	Cantaber,	Pāpilionēſ.	5.	Romæ.	31.	Iulij.	1556.
II.	P.	Petrus	Faber,	Allobrox,	Gebennen.	2.	Romæ.	1.	Auguſt.	1546.
III.	S. P.	Franciſcus	Xauier,	Nauarręus,	Pampilon.	4.	In Sāctio inſula.	2.	Decemb.	1552.
IIII.	P.	Iacobus	Laines,	Hiſpanus,	Segūtinen.	7.	Romæ.	19.	Ianua.	1565.
V.	P.	Alphonſus	Salmeron,	Hiſpanus,	Toletan.	9.	Neapoli.	13.	Febru.	1585.
VI.	P.	Simon	Rodericus,	Luſitanus,	Viſen.	8.	Olyſipone.	15.	Iulij.	1579.
VII.	P.	Nicolaus	Bodadilla,	Hiſpanus,	Palentinē.	10.	Laureti.	23.	Septemb.	1590.
VIII.	P.	Claudius	Iaius,	Allobrox,	Gebennen.	3.	Vienæ Auſtriæ.	6.	Auguſt.	1552.
IX.	P.	Ioannes	Codurius,	Gallus,	Ebredunen.	1.	Romę.	29.	Auguſt.	1542.
X.	P.	Paſchaſius	Broëtus,	Gallus,	Ambianē.	6.	Lutetiæ.	14.	Septemb.	1562.

Coiêre primum Societatem Pariſiis, anno 1534. ſeptem priores, ad quos acceſſerunt tres poſteriores, anno 1535. Ribad. Lib. 2. cap. 4.

Quam præclara nobis pietatis, & aduersus Deum proximosque charitatis exempla reliquerint habet historia Societatis: horum vestigiis, qui proximè consecuti sunt, sedulò institerunt, hodieque, quoad cum ope diuinæ gratiæ licet, insistunt, puritati conscientiæ, & Religiosæ omnis perfectionis studio, continua mortificatione sui, & oratione dantes operam. Hoc argumento à sanctitate eorum qui Christianam fidem profitebantur vsus est Eusebius & S. Aug. 2. contra Iulianum.

Secundò sancta societatis institutio probari potest à charitate fraterna, maximaque animorum concordia ac consensione, per Dei gratiam in societate conspicua; de qua Dominus *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis adinuicem.* Ioanis 13. 35.
De veteribus Christianis notissimum illud Tertuliani: vide vt se diligant, vt alter pro altero mori parati sint: vnam hanc è præcipuis Ecclesiæ notis, vnionem membrorum interse, & cum capite Romano Pontifice, Ireneus, Cyprianus, D. Leo, aliique tradunt apud Bellarm.

Quæ nota profectò conuenit Societati; 1. de Eccle. 10.
cui precipuè cordi est fraterna charitas, tum & obedientia S. Pontifici, ac superiobus deferenda; quam vtramque virtutem, veluti tesseram dixerim, quâ se vehementer optet à cæteris ordinibus dignosci atque discerni, in cuius vtriusque exercitatione,

ne, nolit cuiquam palmam ac primas concedere.

Tertiò ratiocinantur Patres à firmitate, constantia, perseuerantia, imo & incremento Ecclesię, in continuis & grauibus persecutionibus: non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana quæ singula cadunt multiplicata nascuntur D. Leo & sanct. Augu. in illud Psal. 57. Ad nihilum deuenient sicut aqua decurrens. Quas persecutiones toto terrarum orbe passa sit societas, haud est obscurum; vtque iis minimè cesserit sed instar palmæ victricis altius se semper extulerit ac propagarit. Verissimè illi conuenit quod de nascente primum Ecclesia Gamaliel *legisdoctor honorabilis vniuersæ plebi* pronuntiauit *si est ex hominibus consilium hoc aut opus dissoluetur; si vero ex Deo est non poteritis dissoluere illud; ne forte & Deo repugnare inueniamini.* Vt aduersus Ecclesiam ita societatem, eius filiam ac partem minimam, portæ inferi non præualebunt nec tyranni, nec hæretici, nec falsi fratres illam aliquando subruent, ac labefactabunt; non exarescet instar ficulneæ à Christo maledictæ, aut alterius quæ primis annis fructus non tulerat, post triennium exscindendæ: sed instar Oliuæ fructificabit ac multiplicabitur in domo Domini; aut vti dixi, instar palmæ senescentis, quo veterascet amplius eò fructus feret suauiores atque vberiores.

serm. 1. de SS. Aposts. Pet. & Paul.

Actor. 5.38.39

Quarto

Quartò ex ſanguine Martyrum quo irrigata & purpurata eſt Eccleſia, dignitatem eius confirmant SS. PP. Iuſtinus inter alios apologia pro Chriſtianis. Habet & Societas Martyrum ſuorum centurias, quorum ſacro ſanguine confirmata, ſtabilita, fœcondata, ac mirabiliter aucta & ornata, de quibus Martyribus Pius V. Pontifex: eorum aliquos ita Domini amor perſtrinxerat, vt etiam proprij ſanguinis prodigi, vt verbum Dei inibi efficacius plantarent, Martyrio voluntario ſeſe ſuppoſuerint. Quis eorum Martyrum laudes dignè recenſeat, qui Pium ætate diu conſecuti ſunt? Quis vel ſolum enumerare ſufficiat quot in Germania, Anglia, India, Iaponia, hoc ipſo ſæculo Martyrii palmam admirabili conſtantia & fortitudine retulerunt.

Ad Martyrum palmas adiunxerim eorum eximiam charitatem qui ſe peſtifera lue laborantibus adiuuandis certo diſcrimini plurimi obtulerunt quos in pace Martyres verè dixerim, fœliciſſima morte conſummatos, qui pro fratribus animas ſuas poſuerint; ſed erit qui tum horum, tum aliorum Martyrum centurias colligat.

Poſtremò maximi miraculi loco habita eſt à S. Aug. mundi conuerſio, fidei & Eccleſiæ propagatio, per duodecim homines idiotas non armorum vi ac potentia ſed vitæ & doctrinæ præſtantia. An non proportione quadam admiranda eſt diuina bonitas ac

prouidentia in Societatis propagatione, non modò per Europā vniuersam, sed in altero nobis aduerso atque Antipode terrarum orbe, in America, India vtraque Orientali & Occidentali, Iaponia, China, tam exiguo temporis interuallo; non contenti terrarum finibus ait Pius V. vsque ad Orientales Indias penetrarunt, in quibus fidem plantarunt, myriades animarum ad Christum Dominum conuerterunt. O præclaros duces ac milites Societatis, quos si non possumus imitari suspicere rectè ac venerari debemus, gaudere, ac gratulari, quod eorum laborum ac meritorum participes nos fieri confidamus. O sanctissima societas, benigna mater, quas tibi gratias agam & habeam, quod in tuo me gemio à prima adolescentia suscepisti, honestissimis artibus ac studiis instituisti, & ad omnem, si mihi ipse non defuissem, virtutem incitasti; quod me toleras & foues tuorumque filiorum exemplis, doctrinis, ac meritis sustines degenerem, sed vtinam non ingratum alumnum. *Particeps ego sum omnium timentium te & custodientium mandata tua, misericordia tua,* Clementissime Saluator *plena est terra*; sparsâ per orbem vniuersum societate *iustificationes tuas doce me*, sanctissimæ tuæ societatis institutiones, ordinationes, adhortationes ad vsque vitæ finem teneam & te bene iuuante custodiam. seruus tuus sum ego, da mihi intellectum vt sciam testimonia tua. Da mihi intelle-

Psal. 118.

ctum

ctum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo. Intellectum da mihi & viuam: da mihi intellectum & diſcam mandata tua. Iuxta eloquium tuum da mihi intellectum. *Pſal. 118.*

CAPVT XIIII.

CVM IVBILATIONE NON pugnat Gemitus columbæ nec ei vox turturis officit.



PICTETVS duplicem anſam cuiuſque vaſis ac rei ſpectandam inquiebat, & intereſſe, quanam ſiniſtra an dextra ſumeretur; *In Enchiridio.* ſunt imagines quædam cancellatæ, quarum duæ ſunt facies quæ vno ex latere virginis eleganti ſpecie ac forma viuentis effigiem, ex altero eiuſdem mortuæ deformatam, aſpectu tetram & horribilem repreſentent Ad eum modum ſacræ Religioſorum ordinum familiæ (ipſaque earũ mater Eccleſia, quæ ſimul nigra eſt & formoſa exterius nigra ſicut tabernacula cedar, *Cant. 1.* interius formoſa ſicut pelles Salomonis) ex variis, quibus conſtant membris ac partibus, ſpectari poſſunt; & in bonis quorum ſi non maxima ſemper at potiſſima pars eſt, vigent ac florent, omnique ſpecie ac pul-

chritudine nitent, vel vt in malis deformantur, & intuentibus horrorem mærorem que incutiunt. Si de ipsa Christi Domini Passione, & lætandum nobis est cum fructum eius attendimus humanæ redemptionis, & ingemiscendum ac dolendum quod tam acerbos nostri causa cruciatus Saluator tolerarit, idque tam exiguo plurimorum fructu; nemo mirabitur, si & de societate, cæterisque Religiosis familiis iubilandum, ac confessionem laudis actionisque gratiarum Deo reddendam dixerim; sed vna cum confessione peccatorum & ingratitudinis nostræ; neque pugnare cum iubilatione gemitum columbæ modò dicere aggredior. Est quoddam genus lacrymarum gaudii & ardentis in Deum amoris, ad eum suspirantis, & in holocaustum sese illi immolantis, quod cum iubilatione maximè conueniat; verum nec aliud lacrymarum animi contriti ac pœnitentis, sua deflentis peccata, cum gaudio & iubilatione pugnat. Nam & lacrymæ pœnitentium, vinum sunt Angelorum ipsorumque etiam pœnitentium, quibus suauissimè inebriantur, & de ipso suo mærore gaudent eximiè. Sed quorsum hæc? Scripsit Illustris. Cardin. Bellarminus tres libros de Gemitu columbæ, eosque optimæ matri suæ societati, cuius lac à prima suxit adolescentia, ac multis deinceps annis senex aliis eius filiis, è quibus & me esse glorior in Domino, cum Rectorem ageret Collegij Romani 1592.

& nos eius alumnos, & verbis & frequentibus monitis, & præclarissimis sanctissimæ vitæ institueret exemplis; matri inquam, suæ societati dedicauit, eam ad plangendum & lacrymas inuitans: sed non eam solam, reliquos ordines religosos secludens, aut quicumque se lectores offerrent, cuiusque gradus, ordinis, & conditionis; non enim libri ijs solis scribuntur, quibus inscribuntur, nec Euangelium Lucæ nec Actus Apostolorum vni Timotheo nec Apostoli Pauli epistolæ solis Romanis, aut Corinthiis scriptæ sunt: quare non solum societatem optat plangentem, imo vniuersam Ecclesiam gementem facit columbam, cuius verum & viuum membrum sit societas, vti sunt & alij ordines. Secundo libro sextum lacrymarum fontem aperit ordinum Religiosorum relaxationem eumque fontem duplici visione S. Pachomij Abbatis, & S. Francisci Assisiatis confirmat. Addere potuit & tertiam PP. Dominicanorum, quam refert ex eodem ordine Antonius Senensis, cui & aliæ affines extant in eorum Chronicis, vulgari scriptis idiomate; expressit quidem vetustiores ordines Benedicti, Dominici, Francisci, Bellarminus, quorum sæpe reformationes cœptæ, & innouatæ, ac vulgata, pro dolor! scandala: non exclusit tamen nec Societatem, nec alios recentiores ordines in quibus aliqua relaxatio aut deformatio plangenda foret, & omnium inquit aliorum sanctorum, qui ordines Reli-

giosos instituerunt; inter quos haud dubiè S. Ignatius, cum SS. Norberto, Brunone, Romualdo numerandus. Filij & nepotes qui nos sumus, per multos annos, ita sanctè piè perfecteque vixerunt; vt vel omnes, vel eorum maxima pars insigni sanctitate floruerint postea tamen multiplicari cęperunt Regulares sine numero, ac multi non à Deo vocati, sed aliis rationibus adducti Monasteria compleuerunt, & impletum est illud Isa.
Isai. 9. 3. *multiplicasti gentē, & non magnificasti lætitiam.* Inde nata sunt scandala grauia, & multiplicia quę materiam vberem prębeant columbę gemendi, plangendi relaxationem, ne dicam corruptionem ordinum religiosorum. Quos inter si Societatem suam expressè non retulit id fecit decori causa, & obseruantię erga optimam parentem, in qua nec relaxatio, nec corruptio morum Deo laus hactenus obseruari potuit, etsi quędam passa sit scandala membrorum inutilium, ac noxiorum quę mox à corpore reiecta sunt. Nec norbertinos, nec Camaldulenses, nec Chartusianos nec Cistercienses nominauit, nec vsquam Bellarm. duas classes constituit, deplorandorum ordinum vnam, & alteram deplorantis Societatis; in qua & quędam esse deploranda non ignorabat: An non initio capitis generatim loquitur? Ordines Religiosi (quos inter Societas) quemadmodum in suis bonis membris materiem præbent fidelibus omnibus gloriandi, & Deum laudandi (iubilandi)

sic

ſic etiam è contra in membris ſuis malis fontem nobis aperiunt inconſolabilium lacrymarum; an non vniuerſim caput iſtud concluſit, ex quibus omnibus agendas eſſe gratias Deo, cum ingenti lætitia, pro tot ſanctis hominibus quos ordines Religioſi Eccleſiæ Catholicæ pepererunt, & in dies pariunt, & ſimul fundendas lacrymas, pro deformatione, quam paſſa eſt tam illuſtris portio gregis Chriſti, & ſimul orandum aſſiduè Deum, vt conuertat corda patrum in filios, & relaxatos filios ad prudentiam ſpiritualem, & feruorem cordis patrum iuſtorum; ſi pro quopiam ordine precandum ſibi, aliiſque credidit; pro Societatis ſibi amantiſſimo credidit, ex quo ſi qui relaxati forent adhortatus erat eos ad gemitum & lacrymas; ſeniores exemplis SS. Ignatii & Xauerii, iuniores Staniſlai Koſkę & Aloyſij Gonſagę; nec ignorabat ipſe productum a ſe teſtimonium, ad ſocietatem quoque referri poſſe, quam dixerat columbę non modo ſimplicitatem, ac gemitũ, ſed velocitatẽm ac fœcunditatẽ adeptam quę totũ pene complexa foret orbẽ, nec illud eum latebat vulgatum S. Aug. quod refertur in decretis. Quantumcumque vigilet diſciplina domus meæ &c. ſed hic erat eius animi ſenſus, qui S. Auguſtini: etſi triſtamur de aliquibus purgamentis, conſolamur tamen de pluribus ornamentis; nolite ergo propter amurcam, quâ oculi veſtri offenduntur, torcularia deteſtari, vnde apotechę dominicæ fructu olei luminoſioris implentur. De Bel-

Epiſt. 137.

larmini laudibus ac virtutibus non est hic dicendi locus, quę sunt orbi toti notissimę, vt nec testimonium nec laudationem exigant. Neque vero magis purpurâ semel iterumque reiectâ, tandem imperante S. Pontifice receptâ, suisque, vere dicam, sanctissimis moribus honestatâ; quàm doctrinâ & sanctitate claruit Neque item mihi animus est refutandi libelli cuiusdam ex variis auctoritatibus & incertis historiis consarcinati, cui vox turturis pro titulo data, mortuo pridem, &, vt confidimus in cœlos recepto Bellarmino. Ipsius sequar Bellarmini dictum familiare· Melior est vncia vna charitatis, quam libra integra veritatis. Admoneo dumtaxat Auctorem illum, sine causa suspicari librum, vt ait quidem, attitulatum de gemitu columbæ, non esse ipsius Bellarmini, aut ibi supposita quędam esse incerta, quod aliàs oculis columbinis visus esset status ordinum mendicantium decorus ac formosus; nempe cum aduersus hęreticos scribit. Tertiò & vltimo probatur ex euentu; nam hoc genus vitę innumeris signis & prodigiis confirmatum est, quę Deus edidit per SS. Dominicum & Franciscum auctores huius vitę: deinde ab eo tempore conuersio gentilium, confutatio Hęreticorum, pietas populi Christiani, conseruatio Theologię, & innumera alia bona Ordinibus Mendicantium maxima ex parte accepta sunt referenda. *Si ab eo tempore*, inquit Auctor quidam, *vsque ad pręsens, ex*

l. 2. de Monach. c. 45.

verbis

verbis istis, tam floret mendicantium status, iuxta mentem piissimi fidei athletæ; corruptus dici non potest, & fructus vinearum nullo modo á spinarum scandalis læsionem patiuntur: & mox allegat Augustinum: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias:* vnde appellat spinas, nisi propter malignitatem morum, & eas vnde filias, nisi propter cõmunionem Sacramentorum? floret ergo Mendicantium Ordo propter egregias fruges, & tamen ob spinas quibus obsitus est, ex ea parte corruptus est, & oculis columbinis corruptus videri potuit. Vtinam dolendum non sit maiorem esse spinarum quã frugum copiam! euellendæ spinæ, colligendæ bonæ fruges, hæ probandæ, illæ deplorandæ. Aliud tempus flendi, aliud ridendi & iubilandi. Aliæ causę ob quas religiosis familiis sit gratulandum ac collętandum; aliæ ob quas compatiendum & vehementer dolendum, quod tanta sit copia palearum, vt vix in area tritici grana recognoscantur. Fateamur cum Bellarmino, cuius memoria in benedictione sit: cum omnis ordo initio ferueat & multos homines excitet ad pietatem, paulatim autem postea feruorem illum remittat; Deus subinde nouos ordines excitando, quasi perpetuo feruorem in Ecclesia, nunc per hos, nunc per illos conseruat. Certè si quis legat vitam & res gestas SS. Antonij, Benedicti, Bernardi, Brunonis, Dominici & aliorum (Franciscum & Ignatium non nominat, neque

3. contra cresc. cen. 38.

l. 2. de Monachiis c. 3

que

que tamen præteritos cupit) qui aut nouos ordines instituerunt, aut veteres iam pene collapsos restituerunt, is fatebitur esse verissimum quod diximus de mirifico ardore in studium pietatis, & multorum hominum conuersione a peccatis ad Deum per nouos ordines religiosos. Hoc & a me scriptum est contra mendaces Caluini calumnias: ex hæreseos malis pro sua bonitate id commodi Deum obtinuisse, vt quamplurimi Ordines Religiosi nouum feruorem conciperent, ac velut exutâ vetustate renascerentur ac redintegrarentur. Quamplurimi item noui tum Clericorum, tum Monachorum excitarentur ac fundarentur; vt non tantum verbis, sed factis atque exemplis damnatam Diaboli atque Epicuri Sectam confunderent. Gaudeamus igitur de tot Ordinum instauratione, & vt vox Turturis præcinit de aliquorum virore, doleamus de aliquorum ariditate. Vtinam hyems plane transierit, quæ multorum pectora congelauit; ac ver perpetuum illuxerit, quo recalescamus, & instaurato feruore pristino reflorescamus. Amen.

l. 2. de Contin. c. 24.



CAPVT. XV.

CAPVT XV.

DE PRÆROGATIVIS SOCIETATIS quatuordecim, enumeratis à P. Aluarez. De prioribus septem.



SANCTÆ memoriæ P. Baltasar Aluares, vt auctor eius vitæ P. Ludou. à Puente refert, consueuerat in suis ad Nouitios adhortationibus quatuordecim societatis prærogatiuas proponere, scripturis sacris illustratas, quibus ad instituti nostri perfectionem extimularentur. Quasdam ex iis mutuatas, & alias alio ordine mihi referre propositum est, quibus ad amorem instituti laudem B. P. Ignatij fundatoris, aduersus eum & Deum imprimis omnis auctorem & inspiratorem boni Consilij, gratitudinem animi prouocemur. Ne lectorem meum diu teneam suspensum, breuiter eas enumero. 1. multiplex probatio & exercitatio Nouitiorum. 2. diuisio membrorum & graduum. 3. Regimen Monarchicum Aristocratia temperatum. 4. virtutis pretium & æstimatio; dignitatum & honorum omnium seclusio. 5. Ratio viuendi communis & moderata. 6. Ratio redendæ conscientiæ. 7. Paterna gubernatio in spiritu amoris. 8. Annua recollectio, & vsus

ſcholaſticorum, & mox ſtudiis expletis tertium adiecit annum ad pleniſſimam vitæ ſpiritualis inſtitutionem. Quibus annis nulla foret alia cura, nulla cogitatio niſi de profectu ſpiritali, de purganda conſcientia, de paſſionum mortificatione, virtutum exercitatione de extirpatione omnis amoris proprii, abnegatione iudicij ac proprię voluntatis, de obedientiæ atque cum Deo conſuetudinis vſu perpetuo, meditationes, collocutiones omnis generis exercitationes ac penitentię in eum finem ſuſcipientur. Expertis loquor quantum hoc ſit bonum Nouitiatus ſeparati ac multiplicis probationis ad profectum ſpiritualem.

Diſtinctio verò graduum ac variorum in Societate membrorum, munerumque diſtributio non ad ſpeciem modò & pulcritudinem totius corporis; verum & ad firmitatem ac robur, & ad eum quem ſibi propoſitum habet ſcopum ſalutis animarum pertinet. Qualis erat in Rep. Romana Senatorum, Equitum, plebeorum, tribuum, tum & variorum officiorum partitio: Qualis in aliis Ordinibus Eccleſiaſticorum, Nobilium, Magiſtratuũ ſubordinatio ac cõſenſio ad cõmune bonum patriæ; talis eſt omnium hominum graduum, ac munerum, ad maiorem Dei gloriam, animarumque ſalutem, ac perfectionem, conſpiratio: tum profeſſi penes quos propriè eſt Societas, vt eminent gradu, ita doctrinâ & ſanctitate cæteris anteire, ac II.

commune

commune bonum curare monentur: ſcholaſtici verò vt ad eum aliquando gradum & ordinem promoueantur, tum in litteris ac ſanâ Theologiâ tum in omni virtute ac pietate proficere contendunt. Cæteri ſpiritales adiutores ac tẽporales dignos ſe Societate & in rem cõmunem ſtrenuè ſe laborantes operarios exhibent, quodque maximi beneficij habendum eſt loco, ſic omnes fraternâ ac mutuâ charitate copulãtur vt nulla vnquam diſſenſio, nulla diſcordiæ vel minima toleretur occaſio.

III. Cum triplex ſit Politiæ ratio Democratica, Ariſtocratica, & Monarchica, hanc cæteris præferẽdam & ratio docet & experientia; quare & hoc Societatis haud vulgare bonum eſt, quod illi vnus præſidet Generalis Præpoſitus totâ vitâ perpetuus, eamque adminiſtrat ex conſilio debitorum Aſſiſtentium per Prouinciales, Rectores, alioſque ſubſtitutos, & a ſe conſtitutos officiales; vt priuatim nulla nobis eſſe debeat electionum cura ac moleſtia, nulla ſuffragiorum ambitio, nulla locorum & officiorum electio, nulla diſtractio, quin in id vnum quod ſibi ab obedientia eſt iniunctum munus quiſque totus incumbat. Memini me legere apud Nau. minus probandos triennales Abbates quam perpetuos ob cauſas longè iuſtiſſimas, Temperatur autem ſuprema poteſtas Generalis, vbi neceſſe eſt, à Congregatione legitimè conuocata, quæ ſuperior eſt ipſo Generali, ipſumque

ipsumque amouere,& in ordinē redigere potest; quod tamen, Deo laus, hactenus factum non est. In ipsius Generalis electione potissima semper habetur virtutis ratio: talis existat qualem constitutiones describunt ac qualem esse eum antecessores prudentiâ & sanctitate illustres exhibuerunt, iurantque super sancta Euangelia tum Patres congregati, se maximè idoneum ex omnibus absque alio respectu electuros.

Ipse Generalis in graduum & officiorum distributione de singulis diligenter instructus virtutis potissimam rationem habet; absque ea, nec generis, ac nobilitatis, nec doctrinæ, prudentię, eloquentię, nec aliorum naturę donorum vlla habetur æstimatio; virtus est quæ cæteris illis ornamentis pretium tribuit, ex qua potissimū spiritualis animarū fructus pendet ad Dei gloriam. Huc pertinet speciale votum Professorum ad ambitionem malorum omnium in quauis Religione matrem longissimè submouendam, nihil vnquam se acturos ad vllam dignitatem vel prælationem in Societate aut extra Societatem directè vel indirectè quærendam & obtinendam; & si quos eius culpæ aduerterint affines, mox se delaturos, nec consensum ad Prælationem extra Societatem præstituros si eius obedientia qui sub pæna peccati potest præcipere eos non compulerit: qua ratione prouisum est ne Societas præstantibus viris primo sui exortu pernecessariis ac deinceps orbaretur, humilitatisque IIII.

litatiſque ſtudium impenſius omnibus commendaretur.

V. Quod ratio viuendi communis exiſtat nec ordinarias vllas habeat ieiuniorum, flagellorum, ciliciorum, aliarumque pænitentiarum aſperitates, ſed quiſque de confeſſarij ac ſuperioris conſilio ſeligere & vſurpare eas poſſit, quæ ad ſpiritalem profectum conferent; prudentiſſimè id à S. Patre prouiſum eſt; cum variæ ſint admodum complexiones ac corporum conſtitutiones, vt vna omnibus pænitentiarum ratio ac menſura conuenire nequeat. Quemadmodum eadem lex temperantiæ nequit præſtitui; quod illi plus, alteri eſt minus: ita nec eadem pœnitentiæ lex ſtatui poteſt. Tum aſperitas vitę, non ſecus ac paupertas, non eſt ipſa perfectio, quæ in charitate ſita eſt ſed ad eam adipiſcendam adiumento & adminiculo: non tam principalis eſt virtus quam media: pro ratione finis propoſiti, media ſunt adaptanda; inde videndum quis pœnitentiæ modus charitati comparandę & exercēdę ſit vtilis atque idoneus. Hactenus eo in genere noſtri magis fræno quam calcaribus opus habuere, magis coercendi quam impellendi, in priuatis aſperitatibus quas ſibi quiſque pro valetudinis ratione ac cum Superiorum venia imponit,

VI. Monitum illud erat præclarum S. P. Ignatij ne innitaris prudentiæ tuæ: Noli eſſe prudens apud teipſum. Quamobrē vtiliſſima ſanè eſt, moribus & legibus Societatis recepta con-

ſcientiæ ratio reddita Superiori, & quidem quoties viſum fuerit: cui affinis eſt delatio, non velut ad iudicem, ſed parentem, ſi quid interueniat, quod emendatione indigeat. De hac ſpeciali ratione gubernandi in Societate recepta, extant decreta Congregationis V. Generalis, quæ Paulus V. S. Pontifex auctoritate cōfirmauit Apoſtolicâ; certò ſcientes, inquit, totum ſanctæ huius, & nunquam ſatis laudatę Religonis ſtabilimentum & profectum in viridi inſtituti ipſius, & decretorum ſuper hoc in Generalibus Congregationibus eiuſdem Societatis editorum obſeruantia conſiſtere. Iure igitur de hiſce prærogatiuis quæ ad inſtituti noſtri dignitatem, firmitatem, & ſpiritualium bonorum pręcipuam quandam copiam & vbertatem pertinent, gaudemus, gratulamur, ac Deo gratias agimus; ſunt enim hęc priuilegia Societatis non ſolum ornamenta ſed munimenta etiam ac præſidia, ſine quibus diu ſalua atque incolumis perſiſtere nequit.

O bona Mater Societas quam illuſtres & eminentes nituntur eſſe legitimi filij tui nouæ legis Euangelicæ Nazarei, non temporaneo, ſed perpetuo voto Deo conſecrati atque aſtricti, candidiores niue, caſtitatis admirabili nitore ac puritate; nitidiores lacte, morum ſuauitate & humilitate; rubicundiores ebore antiquo, ardenti in Deum proximumque charitate; ſapphiro pulchriores, cæleſtis vitæ ratione ac conſuetudine: qui cum Apo-

stolo dicant nostra conuersatio in cœlis est. Quidni de castris meis cum Sebastiano Baradio eorum castrorum non extremo primipilo, modestè glorier. Castra Dei sunt hæc magnâ voluntate ad prælium procedentia charitatę conferta, robore plena, per totum orbem cum hęresibus, cum infidelitate, cúmque hominum flagitiis, sub vexillo nominis Iesv Regis sui militantia. Armata sunt virtutibus, armata quoque litteris; Arma fortissima sunt scientia & bona conscientia, sed ad cæteras prærogatiuas explicandas aggrediamur,

CAPVT. XVI.

DE CÆTERIS POSTERIORIBVS *Prerogatiuis Societatis.*



Erissime bonam Matrem appellaui Societatem quæ materno nos regit ac fouet affectu; quę Pręposítis ac Rectoribus suis crebrò illud inculcat ac repetit monitum S, Bernardi: *erudimini qui indicatis terram*; Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos; studete magis amari, quàm metui; & si interdum seueritate opus est, paterna sit, non tyrannica: Matres fouendo, Patres vos corripiendo exhibeatis: mansu-

Bernar. ser. 23. in Cant. Psa. 2. 10.

manſueſcite, ponite feritatem, ſuſpendite verbera, producite vbera; pectora lacte pinguescant, non typho turgeant.

Ad hanc ſuauiſſimam regendi, viuendique rationem quæ viget in Societate, dici non poteſt quantum habeat momentum annua Recollectio, & exercitiorũ ſpiritualium vſus, quo feruor ſpiritus innouatur, augetur ac confirmatur: hic eſt Spiritus vitæ, qui hominem liberat à lege peccati, vti loquitur Apoſtolus; lex amoris interna, quam Spiritus S. ſuorum cordibus inſculpere ſolet; interior ſtimulus ad Deo placendum actioneſque omnes ac ſingulas ad vnam eius maiorem gloriam referendum; ſicque recta habetur ac pura intentio diuini obſequij, deuotio ac familiaris cum Deo conſuetudo; abſque hoc ſpiritu graues ſunt omnes externæ leges, moleſtę ac toleratu difficiles ordinationes; quæ ſi ſpiritus hic adſit, pergratæ erunt, faciles ac iucundæ: languidę ac mortuæ abſque eo futuræ. Ergo vita ac anima Societatis in conſeruatione ac renouatione ſpiritus eſt; quo etiam fine B. P. Studioſis & aliis qui certum gradum adepti nondum ſunt bis quotannis ſolennem votorum Renouationem indixit; ſolennem dico; quod priuatam ſingulis apud ſe, quotidianam eſſe expediat. VIII.

Hoc eodem fine commendatur ſtudium orationis ac meditationis omni die, exercitium pręſentię diuinæ, recollectionis & crebrę ad Deũ aſpirationis: quod maximè ge-

nus contemplationis à suis requirebat B. Pater, Deum in creaturis præsentem intuerentur ac reuererentur; vt ipse vnius flosculi, bestiolæ, sed maximè cœli stellis radiantis aspectu totus extra se ferebatur in Deum.

IX. Ex hoc item fonte promanat, quæ Dei beneficio visitur in Societate, votorum exacta & accurata quædam obseruatio; quasi in ea illius omne bonum consisteret Paupertatis, quę vt mater diligenda, & murus Religionis omni studio est conseruanda; Castitatis, quę puritatem Angelicam æmulari debet, & corporis & animi munditie, aduersus quam nulla vel tenuis suspicio atque vmbra toleratur; Obedientię, quam S. Pater specialem suorum vult esse notam ac tesseram, quâ à cæterorum Ordinum Religiosis discriminentur; quæ sit Obedientia, & charitate feruens & hilaris, ad omnia indifferens, cęca, expedita, prompta, constans ac perseuerans. Reuocate in memoriam quas toties audistis regulas è summario Constitutionum, aut ipsam auream S. Patris de Obedientię virtute ad PP. FFque Lusitanos epistolam; & facilè perspicietis quanta à nobis eius virtutis exigatur perfectio. De paupertatis nostræ ratione, non perinde vt vobis, ita externis constat, vt qui externo eam habitu ac vestitu ferè metiantur; at si domi versarentur nobiscum, quam sit arcta tenuisque supellex, quam nihil, non dicam lautum ac magnificum; sed omninò superfluum, & vix ad vsum vitę non

summè

ſummè neceſſarium perſpicerent; vt nemo re vllâ tam quam ſui vtatur, vt à ſuperiore in minimis quibuſque diſpenſandis facultas poſtuletur, Sed nihil moremur exteriorum iudicia, ſufficiat teſtis cuique conſcientia & experientia.

Venio ad Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtię frequentationem. Noſtri non Sacerdotes minimum octauo quoque die, Sacerdotes autem per hebdomadam crebrius confiteri ſolent, prout Sacerdotij quo ſunt prediti, ſanctitas ac dignitas efflagitat, quodque omni die, ſi per aduerſam valetudinem non impediantur, ſacrum offerre Deo conſuerint; quam quidem opportunitatem maximam cum magno animi ſenſu ac fructu ſuſcipiendi hęc diuina Sacramenta, præbet religioſus ſtatus ab omni commercio ac negotio ſæculi remotus, ipſe ſeceſſus ac ſolitudo, otium ac ſtudium orationis, meditationis, contemplationis. Planè Deus nobis hæc otia fecit, quibus ab aliis curis feriati nobis ipſis attendere ac vacare poſſimus, piis exercitiis ad hæc cœleſtia Sacramenta comparare, quibus velut è fontibus Saluatoris, cum gaudio, gratiarum ac ſolatiorum aquas hauriamus, è quibus crebrò nobis ſanctarum illuſtrationum radios cœleſtes, inſpirationumque motus atque influxus excipere liceat, breuiter, eximiis Sacramentorum ac Chriſti meritorum quæ per ea Sacramenta, vti canales, diffunduntur, fructibus ac bonis X.

omnibus

omnibus cumulatè frui. Quantam item Societas in iisdem Sacramentis administrandis operam, diligentiam, atque industriam adhibeat, exploratum est, adea cohortetur omnes mortales quibuscum vel publicè in concionibus vel priuatim in colloquiis ac congressibus familiaribus agit cuius cuius modi sint, sexus, ordinis, gradus ac conditionis: vt semper expediti ac prompti sint nostri Sacerdotes ad ea passim diebus sacris ac profestis quibuslibet ministranda. Quanta in eo genere, ex quo Societas domicilium habere cœpit & Romæ & hîc in Belgio, commutatio facta sit, quâ iam pietate ac frequentiâ, quæ prius pene neglecta iacebant, obeantur, animaduersum est a multis qui tempus vtrumque conferre potuerunt. Et quæ non quottidieque noua velut excitamenta atque adiumenta cum indulgentiarum, tum Congregationum, tum Cõmunionis generalis, excogitantur, atque in vsum inducuntur; vt portò semper augeatur, puriorque ac sanctior euadat hæc Sacramentorum crebra frequentatio. Quare falsus ac mendax extitit vates siue Lutherus siue Caluinus, auricularem confessionem breui interituram, Indulgentias iam congelascere & in fumum iam abituras. Sed nihil aduersus Ecclesiam, nihil aduersus minimam Societatem Ecclesiæ filiam & partem extremam portę inferi præualebunt, & fides propagabitur apud infideles, & apud fideles pietas ac Sacramentorum v-

sus

ſus in dies augeſcet.

De ſcholis Societatis & iuuentutis inſti- XI.
tutione quâ cum litteris pietas ac probi mores copulantur, quid attinet dicere? cum qui ex iis ſcholis prodierunt eximia virtute ac doctrina viri paſſim vbique terrarum emineant ac luculentum reddant teſtimonium. Vulgatum illud eſt:

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu:

Nec quem primum lana colorem imbiberit, facilè abiiciet. Multum in vtramque partem valet teneræ ætatis informatio: conſuetudo altera natura eſt: Quod ſæpe diuque fit præſertim a prima adoleſcentia ac iuuentute, proximè accedit ad id quod ſemper fit a natura. Nihil igitur ad Chriſtianã Rempub. ex Chriſti Domini atque Euangelij lege ſtabiliendam; nihil ad corruptos illius alicubi mores corrigendos; nihil ad priſtinum vetuſtæ pietatis & orthodoxæ religionis ſplendorem innouãdum aptius atque efficacius excogitari potuit, quam vt à Religioſis hominibus ſcholę humanitatis aperirentur, adoleſcenteſque vna cum externa eruditione ſimul virtute ac pitetate Chriſtiana informarentur, quod & ab aliis Ordinibus S. Benedicti, S. Dominici factum aliquando legimus. Per eam occaſionem alios erudiendi homines Societatis Græcis, Latinis, quin & Hæbraicis ac Syriacis linguis excoluntur, ſimul in Philoſophia ac Theologia, Scholaſtica,

 Morali,

Morali, Positiua, Controuersa, quidquid vacui temporis habent a spiritualibus exercitiis impendunt. Quo fructu ac profectu, testantur non politioris modò litteraturæ, sed in omni genere Philosophiæ ac Theologię preclara ingenii ac laboris eorum in vulgus edita monumenta. Nulla est Theologię pars quam (absit verbo inuidia) non egregiis commetariis illustrarunt; nullus sacræ scripturę liber quem non aliquis nostrorum doctè piè ac politè explicarit. Facit hic annus iubilei, vt de se Societas gloriari possit ac debeat, sed ad maiorem Dei gloriam, Christi Domini laudem, cui omnem suam originem eruditionem, & profectum siue doctrinæ siue virtutis & sanctitatis refert acceptum cui lubens auctori ac largitori munifico suas omnes laudes ac pręrogatiuas transcribere gaudet.

XII. Sequuntur Missiones non in Europam modò, vicinasq; ac notas regiones Angliam, Hollādiam, Germaniam, Moschouiam; sed longinquas maximè ac remotas Indias tum Orientis, tum Occidentis, in Americam, & alterum nobis aduersum orbem Antipodarum, quocumque penetrānt mercium exoticarum institores, quo vel insatiabili auaritia vel dominandi cupido peruadit, eodem charitas & animarum zelus se protendit; & mercatores ac milites suos deuehit non auri vel gemmarum sed animarum cupidos piscatores, siue inter hęreticos versandum sit siue inter

ter Paganos & Infideles, votum à Professis editur nullam recusandi missionem, non expetito nec expectato viatico, sine vlla mora & tergiuersatione. Ac quamuis nemo non teneatur fidelis obtemperare S. Pontifici, siquam eiusmodi missionem ad Ecclesiæ bonum iniungat, quà parte summus est Pastor totius gregis Christiani, non tenetur tamen speciali voti Religione, nisi quis eam volens sibi legem imposuerit; forte non tenetur nisi suppeditato viatico, aut si quod vitæ periculum immineat: sed et ad quascunque res præceptas accedere potest noua voti solennis obligatio. Quot verò gloriosis laboribus obnoxiæ sint eæ Missiones, quot periculis expositæ, quàm arduæ, sed & quam fructuosæ atque vberes reportatis plenis animarum manipulis; quam sementi verbi Dei seges ac messis ditissima fere semper respondeat aduertere est; & ego sanè non sine præcipuo quodam animi sensu ac gaudio contemplor nonnumquã Apostolicos illos Patres in India vtrâque, Iaponia, China, Æthiopica, Mexicana, Peruana, Paraquaria regione disseminantes Euangelium multo suo labore & sudore, copiosam animarum Christi segetem referentes, multis in locis primos velut satores ac cultores Ecclesiæ, nouellæ vineæ plantatores; quam & profuso sanguine Martyrij vineam irrigarint ac fecundarint. O quot illi myriades Infidelium in Ecclesiam aggregarunt ac Christo Domino lucrifecerunt serui

fideles

fideles ac gnaui, infatigabiles operarij. Iam & aduersus Hæreticos depugnantes nostros in hisce regionibus eâ infestis peste, contueor, nullum omittere genus armorum nec pugnæ rationem, seu verbo, seu scripto; nullum subterfugere laborem, nulli se discrimini ac periculo subducere, dum spes sit salutis animarum. Vnum è præclaris Ducibus harum Missionum in Anglia veneror Edmundum Campianum, quem, & illustres alij complures Martyres consecuti sunt. Quis hos Societate ac Christo dignos Athletas digna laude prosequi queat? quis eorum præclara facta ac dicta Martyriumque, vti par est, celebrare? est cur eorum laboribus ac perpessionibus sanctè quis inuideat; sibi quoque tam gloriosam spartam ac palæstram non obtigisse doleat: nempe nobis non erat ea virtus, ea puritas mentis, generositas, ac celsitudo; non sunt omnes Aquilæ sublimè volantes, hæremus affixi terræ prauorum morum pondere prægrauati. Illud solatio nobis esse debet, quod eâdem vitę Societate tam præstantibus viris Apostolicis ac Martyribus colligati simus; in idem corpus, indecora licet & indigna membra, cooptati; eodem spiritu vegetati, participes eorum operum pietatis ac meritorum. Quod si non penitus æqua, saltem aliqua pars erit remanentium ad sarcinas, quæ ad bellum proficiscentium: hoc habet eximium charitas. vt aliena quoque bona ac merita, sua faciat: qua de re frequenter Aug. ac Greg.

Inter

Inter omnes porro prærogatiuas Societatis, istam ego eximiam & principem locum obtinere censeo, mutuam ac fraternam omniū inter se sociorum charitatem, quâ se arctissimè complectuntur, vt eiusdem Patris ac Matris germani filij, quâ se omnibus officijs & obsequiis fouent, promouent, ac demerentur sub eodem Christo duce ac S. Ignatio eius vexillifero commilitones ac contubernales, in quam se vltro militiam sæculo derelicto ac propinquis omnibus, adscripserunt, ad eandem spem vitæ æternę vocati, eiusdem mensę celestis alumni, eâdem pasti ac refecti sacrâ Eucharistia, eiusdem corporis mystici membra, quibus summa inest mutuò se tuendi iuuandique cura, vt quæ eodem vno informentur atque animentur spiritu. Hanc mutuam charitatem discipulorum suorum notam cupiebat esse Saluator: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Ioannis discipuli, ab austeritate vitæ ac ieiuniis; Pharizæorum, a supestitionibus aut vestium fimbriis ac philacteriis laxioribus agnoscuntur: at Christi Domini, mutua charitate. Hoc modo suum speciale mandatum, modo nouum, modo vetus inculcabat, ac primitiuos inter fideles viguisse diximus ex Tertulliano. XIII. *Ioann.* 13. 35.

Illud igitur vnicè prouidendum est, ne quâ nos aliquando culpâ grauior, aut aduersus casus malè conciliati rumoris sinistri, aut, verius dicam, durities & obstinatio mentis

aduersus

aduersus Superiorum iussa, a Societatis corpore diuellat; ne mutuâ hâc charitate ac membrorum consociatione priuemur; ne de vita hâc palmites aridi & infœcundi præscindamur, ne rursus in sæculum remittamur: Vt Mare se purgat, & in littus eiicit sordes, quisquilias ac algas, putrescentiaque cadauera; vt stomachus prægrauatus vomitu se releuat ac reficit; vt sanguis noxius ac febrilis sectione venæ ad corporis sanitatem emittitur: ita Societas hâc quorumdam dimissione, puram se, integram, sanam, ac incolumem conseruat; quæ sane non vulgaris est prærogatiua; cum quidam præfracti sint & incorrigibiles, quos carcere coërcere non expediat, qui cæteris perfacilè scabiem suam adfricent, & animi pestem instillent. Tum & iis forte votorum obligatione solutis facilior sit salutis ratio, multique ad mentem ac bonam frugem postliminio redeunt, qui si per vim in religione retenti forent, & sibi & aliis pestiferâ obstinatione nocuissent, ac sempiternum interitum attulissent. Præferenda est totius corporis incolumitas, vnius alteriusue membri iam putrescentis abscissioni. Potior est omnium membrorum salus, quam digiti reduuia: fœcundior est vitis refectis inutilibus palmitibus repurgata: vt quid terram occupant steriles myricæ & arbores infructuosæ?

XV. Altera ratio quâ se Societas tuetur, sanamque ac florentem conseruat, externæ sunt persecutiones, & infestum odium Mundi: de

quo

quo suos quoque Dominus præmonuit; *si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret*; & paulo ante: *si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit*, fieri nequit, quin dissimilitudo vitæ ac morum complures nobis inimicos conciliet; quin vitio exosa semper sit virtus; quin multi seu è clero, seu prophanis siue sacris ac religiosis hominibus alienam a probitate ac instituti sui sanctitate vitam agentes, aduersarij nobis existant perseuerantibus in ea rectitudine ac perfectione vitæ quam a nobis Societatis instituta reposcunt. Ac quemadmodum ex antiperistasi, pugnantium elementorum se virtus intendit, circumfuso frigore calor augetur: ita hæc incommoda & mala externa, quæ nos premunt ad Deum ire compellunt, & nos inter nos ac cum Deo bonorum omnium fonte penitiùs arctiusque coniungunt. A blandiente, quàm a sæuiente mundo longè maius est periculum: pietati magis aduersa quam secunda fortuna fauet: asper ventus, sed in portum citiùs peruehit. Quod de sui temporis Ecclesia lamentatur Cyprianus, nimiâ pace ac tranquillitate solutam elanguisse, nouis opus fuisse persecutionibus, quę torporem illum excuterent; de Societate vereri merito quispiam possit, ne copiâ rerum externarum, fauore, ac beneuolẽtia amicorum, ipsâque sociorum multitudine languescat ac primęuum illum spiritus feruorem extinguat; otio, ac torpore, ac velut interno quodam marcore contabescat.

Ioan 15. 19. 18.

bescat. Tantum malum pro sua clementia benignissimus Iesus auertat, ac Societatem suam, quam hoc primo centenario non modo sartam tectam conseruauit; sed multis ornamentis ac prærogatiuis auxit; eodem illo primæuo spiritu feruoris animare porro pergat: perseueret in omnibus Sociis, qui in primis Patribus eius fundatoribus enituit ardens zelus Dei gloriæ, & salutis animarum; eodem mutuę charitatis vinculo constringātur, quo primi illi Patres è diuersis nationibus aggregati; totos sese diuino deuoueant ac mancipent obsequio, ac quam plurimas Christo Domino conquirant ac lucrifaciant animas, quibuscum aliquando in cœlum recepti, beata ac triumphali in omnem ęternitatem iubilante Societate perfruantur. Hoc votum nostrum exaudi ô summe fundator & conseruator Societatis, clementissime Iesu: patere te a B. Ignatio cæterisque SS. Patribus nostri causâ supplicibus, exorari: quos in idem vitę genus & institutum in terris vocasti, ad eiusdem quoque præmii cœlestis cōmunionem ac Societatem perducere digneris. Amen.

CAPVT. XVII.

CAPVT XVII.

DE IMITANDO PATRE N. AC Duce S. Ignatio.



NIHIL, opinor, quod ad perfectionis religiosę fastigium, eiusque capescendæ studium pertinet, à B. P. Ignatio pretermissum est; quin luculenter exercitiis spiritualibus, & constitutionibus expresserit; que ad orandi, meditādi, & contemplandi rationem spectāt ex libello exercitiorum complexus est; Quæ ad agendi, vitæque totius partes, mores, functiones regimen, in cōstitutionibus accuratè perscripsit.

At quoniam breuius, certiusque iter est per exempla quàm præcepta; hæc eadem omnia documenta sanctissimæ vitę suæ, veluti breui compendio & exemplari ad imitandum proposito, nobis offert; non modò Societatis auctor & fundator; sed totius vitę spiritualis dux & magister, absolutæ perfectionis speculum posteritati datus a Deo. Quare videtur ille mihi verbis Apostoli nos appellare; *imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 1. Cor. 11. 1.

Prototypon & primarium exemplar est Christus Dominus, quâ homo, exemplar exéplarium; qui est imago Dei inuisibils, primo

genitus

genitus omnis creaturę quia in ipſo condita ſunt vniuerſa; ſed qua Deus exemplar erat abſconditum in cælis delitęſcens; humanam igitur formam induit, quam conſpiceremus, moribus atque imitatione niteremur exprimere, qua de re D. Baſilius. Diuinitatis exemplar primario imitantur Angeli, inquit D. Dionyſius & Auguſt. tum ſecundario reliquæ creaturæ.

c. 1. Ec cl. hierarchiæ. de Agoni Chriſtia.

Humanitatis exemplar primariò Pręlati, Apoſtoli, Apoſtolicique viri fundatores ordinum religioſorum æmulantur, tum ſecundariò reliqui inferiores in ipſis Pręlatis Chriſti exemplo informatis; de quibus Apoſtolorum princeps: *qui forma facti ſunt gregis.* Item *ſine offenſione eſtote Iudæis & Gentilibus, & Eccleſiæ Dei: ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quęrens quod mihi vtile, ſed quod multis: vt ſalui fiant.* Nec illa vna eſt cauſa cur Corinthios Apoſtolus ad ſui imitationem proximè potius quam ipſiuſmet Chriſti cohortetur, quòd inter eos vitam egiſſet, illiſq; notior & recentior, memorię magis infixa foret Pauli conuerſatio, quàm Chriſti Domini, quem nunquam in terris verſantem vidiſſent; ſed illa maximè cauſa valuit, quòd exemplar morum ac vitę S. Pauli, ex prototypo tamen Chriſti deductum, eorum ingeniis accommodatius, ac captui congruentius exiſteret, vt rudes & imperiti pictores, non ſtatim ad Archetypum exprimendum adhibentur, ſed alia ex eo deducta exemplaria conſectanda

1. Pet. vlt. 2. Theſſ. 3. 4. 1. Corinth 10. 32. 33.

consectanda. Scriptores ad magistri characteres imitandos ipsius, aut alterius institutoris manuductione formantur: ita sensim ad Christum Dominum in Apostolo Paulo & S. P. Ignatio sequendum & imitandum informandi atque excitandi sumus. Quamquam exemplaria omnia, omnisque imitatio denique ad prototypon est referenda. Quod si B. Ignatium moribus expresserimus, in eo & Christum Dominum & Petrum & Paulum Apostolorũ principes imitati fuerimus. Vt imbecilles oculi magis oblectantur luce ac radiis solis in aliquo monte repercussis, quam si in ipsummet meridianum solem defigantur, quem splendorem sustinere non possint; ita nobis procliuius sit imitari Christum in Paulo & Ignatio, quàm in ipsomet Christo. Quâ primum Bullâ societas est approbata, nondum electo Præposito Generali, qui mox omnium suffragiis electus est S. Ignatius, habet formula Instituti: In prælatione autem sua benignitatis & mansuetudinis, charitatisque, Petri, Paulique formulę semper sit memor; Ad hanc igitur formulam sui exigit imitationem S. Pater. Memini me & apud Hieron. Heliodoro, legere; non est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri. Tria commemorat S. Thom. in quibus Apostolus Christum sit imitatus, & a Corinthiis imitari se percupiat 1. in mentis deuotione: *viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.* 2. In subditorum cura & sollicitudine: *si im-*

 molor

molor supra sacrificium & obsequium fidei vestræ gaudeo, & congratulor vobis omnibus, sicut & Christus obtulit semet ipsum pro nobis. 3. quantum ad passionis tolerantiam: *Iesu in corpore meo porto.* Quę tria capita in sancti quoque Patris eminent vita, ac tria iustitiæ, perfectionisque Christianæ complectuntur officia quibus & Deo, & proximis, & nobis ipsis facimus satis; Deo pietatem, proximis benignitatem nobis mortificationem impendimus. Nihil æque commendat, atque in Societate cupiuit extollere, quàm spiritum orationis & mortificationis, cui erat addictissimus; tum & virtutum principes charitatem & humilitatem, ad quas cętere referuntur. Quas laudes Baptistę tribuit S. Berna. dum illud Christi elogium explicat; *Ipse erat lucerna ardens & lucens;* easdem inferiore quodam gradu B. Patri licet accōmodare; qui & ipse non tantùm luxit verùm & arsit, cuius anagramma O ignis illatus à Deo. Cuius eximia virtus fuit ardere, & lucere, haud absimilis Eliæ, de quo Eccles. *Surrexit Elias propheta quasi ignis, & verbum eius quasi facula ardebat.* Non ait lucens & ardens, quia Ioannis ex feruore splendor non feruor prodiit ex splendore; sunt enim qui non eô lucent quia feruent; sed magis feruent vt luceant. At isti planè non feruent charitatis spiritu; sed studio vanitatis, quod longissimè abfuit à B. P. qui nullam tentationem minus vnquam timuit, quàm vanitatis & inanis complacentię; vt per annos

nos viginti & amplius ea se pulsatum non meminisset. Adeo in sui cognitione & deiectione fundatus erat. Sed Bernard. prosequatur: vultis nosse quemadmodum arsit Ioannes & luxit? Ego vtrumque in eo triplicem posse arbitror inueniri & ardorem & splendorē. Ardens enim erat in seipso vehementi austeritate conuersationis; erga Christum, intimo quodam & pleno feruore deuotionis; erga peccatores proximos constantiâ liberæ increpationis: luxit nihilominus, vt paucis dixerim, exemplo, digito, & verbo; & seipsum ostendens ad imitationem; & luminare maius quod latebat, ad peccatorum nostrorum remissionem; & ipsas quoque tenebras illuminans, ad correptionem: luxit igitur exemplo, digito, verbo; opere seipsum, Christum indice, nosmetipsos nobis sermone declarās. Hęc Bern. & similia serm. 3.

In B. S. P. Ignatio hunc quoque triplicem ardorem & fulgorem reperire est, ardorem charitatis aduersus Deum, proximos omnes & imprimis Societatem ipsam, zeli flagrantissimi maioris Dei gloriæ, salutis animarum, boni communis Societatis; vt ipsa suorum institutorum retinens totam se diuinis obsequiis manciparet, in suam proximorumque salutem ac perfectionem impensē semper incumberet. Triplicem quoq; splendorem sanctissimę vitę, virtutum omnium illustrium, doctrinæ cęlestis, exercitiorum

ſpiritalium, denique diſciplinæ ſuorum alũ-norum filiorum ac diſcipulorum, quos in medio nationis prauæ lucere cupiebat, & vt cœlum ſtellis, ſic illis Eccleſiam militantem illuſtrari. Et luminare maius Chriſtum ducem ſequendum, Exercitiorum eius hebdomas ſecunda, illuminatiuæ; & tenebras noſtras prima vitæ purgatiuæ; & ſeipſum ad excellentem contemplationis imitationem vnitiuæ, tertia; ſimul & ſanctiſſima vita demõſtrat. Sed opere pretium ſit attentius ac ſigillatim inſpicere quibus S. Pater virtutum paſſibus ac gradibus ad ſummum perfectæ charitatis culmen attigerit. Conſectanda ſunt nobis eius veſtigia, licet non paſſibus æquis; non alia tamen ratione ac via ad inſtituti noſtri perfectionem gradiendũ nobis eſt, quàm quà primus eius Auctor & Inſtitutor anteceſſit. Hanc viam non inſcité quiſpiam duplicem eſſe dixerit, per colles thuris, myrrhæ montes, in Canticis celebratos, Orationes & mortificationes Cùm quempiam quis apud S. Patrem commendaret virum multæ orationis, ſubdidit: imo multæ mortificationis; indicans plus aliquanto mortificationi tribuendum, quàm Orationi; vt amplitudine & altitudine montes collibus excellunt; & mortificatione via ſternitur ad orationem, cuius ſuauitas illius aſperitatem lenit ac mitigat. Eſt autem ea triplex generatim mortificatio; Abnegatio diuitiarum, voluptatum & honorum, rerum externarum, curę corporis immo-

immoderatæ; ſuimet iudicij & arbitrij; Animi & voluntatis propriæ: cui triplici abnegationi, reſpondẽt tria vitę religioſę fundamenta, tria vota paupertatis, caſtitatis & obedientiæ. Aduertere autem eſt B. P. tertium potiſſimum abnegationis genus & obedientiæ virtutem præ cæteris expoſcere, tamquam propriam ſuæ familiæ notam ac teſſeram, cùm in examine candidatis Societatis proponi iubet. Quemadmodum mundani homines ea quæ ſunt mundi diligunt; & ita qui Chriſtum ſequuntur amant & ardenter exoptant quæ eis contraria ſunt indui nimirum eâdem veſte & inſignibus Domini ſui, pro eius amore & reuerentia, contumelias, falſa teſtimonia, & iniurias pati, & ſtulti haberi; & qua in re potiſſimũ ſitam opinetur imitationem Chrſti Domini demonſtrat. Tum quid a Profeſſis exigat perfectionis, quando Nouitios vult interrogari an eiuſmodi inflammata deſideria ſentiant. Sed quęrat quiſpiam, cur non & alrerius duplicis abnegationis diuitiarum, & voluptatum mentionem facit, quarum cupiditas in hominibus ſęculi præcipuè viget ac dominatur? An non & voti, paupertatis, & caſtitatis præcipua quædam habenda eſt ratio & obſeruatio? omnino ſed, opinor, caput iſtud examinis, deſumptum ex contemplatione de duobus vexillis, quâ ſupponit eos, qui ſe militiæ Chriſti addixerint, abnegata prorſus natura ſenſuali, ac corrupta, ad pręclariora quæque Dei obſequia oblaturos,

c. 4. §. 44. 45.

expugnata carnis, sensuum, amorisque proprij & mundani rebellione. Constat non tantam inesse difficultatem in Paupertatis & Castitatis obseruatione, quanta est in abnegatione proprii iudicii, obedientiæque virtute, aduersus eum qui naturâ velut insitus nobis hæret excellentiæ propriæ appetitum: hic omnino supremus est gradus, ad Christi perfectam imitationem proximus: vt melius ad eum tam excellentem, & in spirituali vita tam pretiosum gradum perueniatur subdit B. P. maius ac impensius studium cuiusque sit quærere in Domino maiorem sui abnegationem & continuam in rebus omnibus, quo ad poterit mortificationem. Narrat S, Bernardus de S. Malachia, cùm eum ab opere præclaro ad Dei gloriam, Sui, metu mortis & infamiæ deterrerent, respondisse: finite, Fratres, finite me imitari Magistrum meum, sine causa sum Christianus, si Christum non sequar: An non consimili ratione dicat vnusquisque nostrum; non sum homo Societatis, non sum Iesuita, S. Ignatij filius & alumnus, si IESVM consectari atque imitari non studeam; militiæ desertæ coarguar si a duce meo sequendo destitero, præsertim vbi aliqua vel laboris, vel tolerantiæ, vel infamię subeũdæ suberit occasio; certè degener tanti nominis professioni dicar non respondisse.

De Oratione porrò dicam proximo capite prolixius nunc breuiter expediam. Habuit hoc proprium S. Ignatius, vt consideratione plurimum

plurimum vteretur; cùm diceret hominem à belluis ratione differre, quemadmodum à prophanis Ethnicis fide illuminatâ ratione differt Christianus. Triplicem verò adhibuit in omni vita considerationem, quæ triplici viæ respondet purgatiuæ, illuminatiuæ, vnitiuæ. Vnam de creationis fine ad quem omnia facta, dicta, cogitata, vitæ instituta sint referenda; qui semper præ oculis habendus sit in omni obiectione ac deliberatione, scopus maioris Dei gloriæ & salutis animarum. Alteram de Christi Domini duce sequendo, eius imitandis virtutibus, quæ in omni eius vita & passione potissimum elucent ad quod exemplar omnes vitæ nostræ partes ac rationes sint componendę. Tertiam ad excitandum amorem Dei recensitis beneficiis communibus & priuatis, agnitoque Deo in omnibus suis creaturis intimè præsente ac cooperante. Quę triplex contemplatio concludit exercitia: 1. inchoat vt fundamentum. 2. secundæ & tertiæ præit hebdomadæ. Prima pertinet ad resecandos sinistros omnes affectus, hominemque internum, & externum ritè & honestè componendum, nam exterior modestia ex intima puritate ac deuotione dimanare debet. Secunda Christi Domini vehementem amorem virtutumque omnium splendorem eximium colligit. Tertia in animis perfectam ingenerat cum Deo consuetudinem, ac familiaritatem.

Ad hęc duplici conscientiæ examine plu-

rimùm vtebatur B. P. Generali, & particulari; & quidem examine ſecludebat vitia næuoſque omnes abſtergebat; Regulis autem rectæ electionis & maturâ deliberatione virtutes acquirebat, eaſque ad ſummum apicem perducebat perfectionis. Neque vero tantum earum virtutum perfectas edebat actiones; verùm adhibita omni contentione, modo perfectiſſimo, ob finem præſtantiſſimum eas eliciebat; ex puriſſimo & ardentiſſimo aduerſus Deum amore profectas; cuiuſmodi nos puriſſimam habere intentionem non ſolum in diligendo ac retinendo vitæ ſtatu; ſed rebus in omnibus optabat ac monebat. Quidquid in vita quotidiana ſuſcipiebat, aut preuidebat, hac fere trutina vel examinis, vel rectæ intentionis & electionis, expendebat, ſibi ſemper preſentiſſimus, ſui cuſtos accuratiſſimus, & quid Deus intus loqueretur attentiſſimus cum eo ipſo colloquens, ac continenter adſpirans. Numquam ſuas longius euagari cogitationes patiebatur, in ſingulas horas receptui canens, conſcientiæ ſinus omnes excutiens, in excubiis ſemper agebat. Hâc igitur ad perfectionem inſiſtamus viâ, B. Patris veſtigiis inhærentes quoad opitulante Dei gratia licebit Præter quotidianum orationis matutinę ac duplicis examinis penſum, demus operam recollectioni horarię & breues ad cælum aſpirationes eiaculemur; aut earum vice, collectis & orationibus vtamur Eccleſię, quas

quèque

quęque dominica nouas excellenteſque ſuppeditat. Neque verò negligendi ſunt tres orandi modi, quos explicat in exercitiis S. Pater, neque omnis abiicienda vocalis oratio, ſed adiungenda illi mentalis, vt voce ſimul oremus & ſpiritu. Quæ B. P. familiaris erat triplex ratio colloquiorum ad B. V. Dei Matrem, ad Chriſtum Dominum Redemptorem, ad æternum Patrem totamque Auguſtiſ. Trinitatem, à nobis quoque crebrius vſurpetur, non modo in meditationis extrema parte, cum piis affectibus incenſus erit animus; verum & ea intermedia, & extra illam, cum erit animus vacuus, rite comparatus. Vtamur & in ſingulis actionibus oratione quam præparatoriam, meditationi præmittendam monet, antequam eas inchoemus, iis expletis examine breuī & gratiarum actione quę conſequi ſolet. Denique libellum exercitiorum & ſummarium conſtitutionum diuinâ nocturnàque manu verſemus, in vſus quotidianos traducamus, moribuſque exprimamus, vt ea ratione familiarem cum Deo conſuetudinem agendi nanciſcamur, idoneique Societatis euadamus operarij, tam illuſtris corporis non indecora mēbra, tam pręſtanti ſchola non indigni diſcipuli, quoad emenſo mortalitatis huius curriculo cum pluribus aliis ope noſtra adiutis ad beatæ metam ęternitatis perducamur.

CAPVT XVIII.

CAPUT XVIII.

ITERUM DE VIRTUTIBUS S. Patris imitatione conſectandis, eiuſque implorando præſidio.

ſe r. 1, de Nati. Domi.



RÆCLARA ſunt monita B. Leonis, quæ Societatis hominibus apprimè conueniant. Memento cuius capitis, & cuius corporis ſis membrum; quod erutus, de poteſtate tenebrarum in Dei lumen tranſlatus ſis, & regnum: Societas IESV Dei lumen eſt & regnum, ſpeciale eius corpus, aut corporis eius, quod eſt Eccleſia, minima quidem, ſed ſelecta pars, cuius caput eſſe dignatur. Iterum S. Leo: gloriemur in Domino qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis, in quibus præſidium nobis conſtituit & exemplum. Mirabili in S Ignatio, per quem hoc genus vitæ, quod profitemur, inſtituit, atque optimis legibus, moribuſque ſtabiliuit: à quo parente optimo præſidium filij ſingulare, & exemplum diſcipuli merito expectemus: qui in eodem vitæ curriculo verſatus, eandem viuendi rationem tenuit, quam præſcripſit: eaſdem obiuit actiones, quas quotidie frequentamus, vt eaſdem, eius adiuti præſidio, & exemplo cõfirmati, conſimili ratione, cum puriſſima

ſer. in Natal. S. Lau.

intentione diuini obsequij, ad maiorem Dei gloriam exequamur. Obseruat P. Petrus Ribad. P. Ignatium cum perfectam Generalis. Præpositi formam discriberet, tametsi nihil minus quam de se cogitaret, suis sese coloribus depinxisse. Inerant illi dotes omnes, ac virtutes, quas in deligendo Generali requirit quæ & priuato cuique ad imitandum propositæ esse debent. Nam qualis est Præpositus, tales & inferiores homines Societatis esse par est; pro cuiusque gradu & ordine, ne planè dissentiant à capite membra; sitque corpus vniforme eiusdem modi ac generis, eisdemque virtutum splendoribus illustratum. Id vnum est discriminis quod quo quisque est in superiore gradu dignitatis, ac prælaturæ collocatus; eo maiore quadam perfectionis obligatione teneatur; ad quem tamen omnibus aspirandum ac pro virili & mensura gratiæ diuinitus communicatæ connitendum.

Tres eos paragraphos quibus eæ dotes explicantur breuissime percurramus, iisque veluti cancellis B. Patris laudes circumscribamus. Inter dotes, inquit, quibus ornari Præpositum Generalem optandum est, omnium prima hęc erit, vt Domino ac Deo nostro quammaximè coniunctus ac familiaris 12. p. c. 1. §. 1. tam in oratione quàm in omnibus actionibus suis sit; vt eo vberius ab ipso vt bonitatis totius fonte, vniuerso corpori Societatis abundantem donorum ac gratiarum eius participationem, ac multum valoris & efficaciæ

caciæ omnibus illis rationibus, quibus ad auxilium animarum vtetur, impetret.

Hic erat ſcopus B. Patris, & inſtitutę Societatis maior Dei gloria & animarum ſalus. Quam in oratione & familiari cum Deo conſuetudine excelluerit S. Pater, indicio eſt, quòd Patri Iacobo Laynez non ſemel faſſus ſit in rebus diuinis habere ſe paſſiuè, qui ſupremus habetur contemplationis gradus, vt de magiſtro ſuo Hierotheo loquitur Dionyſius: Erat patiens diuina, perpetuis ſplendoribus Deo mentem eius illuſtrante ac permouente ſine vlla renitentia. Et quidem Manreſæ primo conuerſionis ſuæ tyrocinio conſueuerat 7. horas genibus precando conſumere, cùm nondum haberet vſum orationis mentalis, ſed mox edoctus à Deo, quãtum in ea profecerit ope D. V. docet exercitiorum libellus mole minimus, ſed virtute maximus, in quo rationes omnes ac viæ precandi tum mente, tum voce explicantur, & numquam ſatis admiranda ad diſcretionem ſpirituum, alioſque ſpirituales fructus documenta traduntur. Quot Manreſæ cæleſtibus viſis illuſtratus ſit; habet auctor eius hiſtoriæ Ribad. & tamen hunc ſtatum eminentem in ſpiritali vita, quem ſtudiorum tempore primitiuam Eccleſiam ſuam appellabat extrema iam ætate prima fuiſſe rudimenta dicebat, & ea quotidie Deum in ſe expolire, quorum rudia Manreſæ lineamenta duxiſſet. Extat libellus in quem animi ſui ſenſa & varia cæ-

leſtia

lestia visa, donaque referebat, quo tempore maximè conscribendis vacabat constitutionibus ac crebras habebat apparitiones diuinas. Quo ex libello apparet illum nihil vnquam de orandi studio remisisse, sed progressus in dies fecisse non mediocres; quo pertinet illius familiare dictum. Arcum frangit intensio, animum remissio. Huius summæ cum Deo coniunctionis ac familiaris consuetudinis testis est Ribad. qui pluribus explicat quà attentione in horis canonicis, in sacrificio Missæ, cum mensę benediceret aut gratias ageret, quibuscumque in rębus Deum pręsentem intuens ac venerans; quod maximè genus orationis ac contemplationis a nobis requireret.

Transeo ad alterum §. Secunda dos; vt vir sit cuius in omni virtutum genere exemplum reliquos de Societate iuuet, ac pręcipuè in eo splendor charitatis erga omnes proximos, & imprimis erga Societatem; & veræ humilitatis, quę Deo & hominibus amabilem eum reddat, sit conspicuus. Suas descripsit virtutes ob quas Deo & hominibus acceptus fuit, externis æque ac suis domesticis summæ venerationi. Charitatis eius aduersùs Deum & proximum varia suppetunt argumenta & exempla: aduersus Deum, prodit illam familiaris illa consideratio quâ se ad purissimam semper intentionem diuini obsequij ac maioris Dei glorię concitabat, vt neque tam spe pręmij, neque tam metu supplicij;

cij; quàm vnius diuinæ bonitatis intuitu in ſingulis ſuſcipiendis actionibus permoueretur. Illa item conſideratio, ſi Deus illi cæleſte regnum offerret, & ſpes tamen eſſet poſſe illum aliquot annos ſuperſtitē obſequium aliquod diuino Numini pręſtare, etiam cum incertitudine ſalutis vitam præeligeret, non poſſe Deum tam fidelem ſeruum deſtituere & non illi regnum conferre, cuius amittendi ſe illius vnius cauſa diſcrimini obtuliſſet. Item illa, ſi damnatus eſſet in gehenna, quæ res illum potiſſimum excruciaret, non tam ignes perpetui damnatorum, demonumue conſortium; quàm horrendę ab eis emiſſę blaſphemię, & Dei ſummi boni ſummè amati priuatio. De proximis neminem ille vnquam Præpoſitus Generalis abs ſe dimiſit, quin ſi poſſet ope eum ſpiritali iuuaret: ſi vel vnam noctem impudicę mulierculę flagitiū vnum impediſſet, rectè ſe operam collocaſſe credebat. Poſſim referre hic hiſtoriam Pariſienſem, cum ſe in frigidiſſimum lacum collo tenus hyeme demerſit, vt ab impuris amoribus neſcio quem auocaret. Quod alios ſanctos ſuę ſalutis ac tentationis depellendę cauſa feciſſe miramur; Id S. Pater alienę ſalutis cauſâ lubenter egit. Poſſim & alteram eius contubernalis qui pecunia illum fraudarat, & Rothomagi, cum in lethalem morbum incidiſſet, tamen confiſus de eius charitate, aduocare illum auſus eſt, nec fruſtra; cùm Pater ieiunus quatridui iter illico peruolarit ad

ingratum

ingratum illum furem sua præsentia & opera subleuandum. Humilitatis quod illustrius exemplum esse potest, quam quòd Præpositi Generalis munus semel, iterumque tāta contentione defugit, & à se conatus est amoliri, seriò contestans se inidoneum & indignum summâ hâc perfecturâ, quâ nemo tum Professorum non longè dignissimum eum censebat. Omnes domesticos sibi exemplo, & ad virtutem incitamento esse dicebat, vix hominem inueniendum, cui Deus tam multa dona tam ingrato conferret, volebat corpus suum in sterquilinium abjici; nunquam de rebus suis loquebatur nisi parcissimè, tuncque cum esset necesse; si Societatis institutę aut alterius rei per eum pręclarę gestę mentio incidisset, mox erubescebat, vt verecundissima Virgo, & aut silebat, aut alio sermonem avertebat. Quid quod in extremo morbo, atque ipsa morte cùm eius diem & horam diuinitus pręnouisset; tamen aduersus medicorum aut Patrum iudicia contensiosius agere noluit, & supremis se sacrę vnctionis pręsidiis orbari passus est id habens solatii, quod Christi conformis animam ageret solus, desertus ac destitutus ab omnibus domesticis, inuocato sepius & inclamato nomine IESV animam agere deprehensus est.

Venio ad 3. §. liber etiam ab omnibus inordinatis affectibus per gratiamDei edomitis, & mortificatis, sit oportet, ne interius rationis iudicium perturbent, & vt exterius

quio D. V. esset assecutus, hæroicã, cælestem, angelicam ab omni prauo motu cõcupiscentiæ prorsus alienam, quodque primum hunc hostem superatum à suis alumnis crederet, quos deuicta carnis ac naturæ corruptela ad sublimiora perfectionis fastigia cupiebat adspirare. Vt quis liber euadat ab omnibus inordinatis affectibus, obseruator sit oportet accuratus Votorum ac Regularum suarum. Nam affectus illi ad tria fere capita reuocantur, tres velut Orci fauces ac scaturigines vitiorum Superbiæ, Luxuriæ, Auaritiæ, tres pestes ex amore proprio progenitæ, tres furiæ infernales, quibus opponuntur illustres illæ tres Dominæ quę S. Francisco Assisiæ obuiam prodierunt, Paupertas, Castitas, Obedientia, tres gratiæ celestes inter se complexæ, quæ nos deducant ad Christum Dominum, eiusque familiaribus comitibus adiungant Paupertati, Dolori, & despectui. Hisce respondent tres explicati paragraphi. Quamquam ordine dignitatis & naturę sic se habent, vt sunt à S. Patre dispositi, tamẽ ordine generationis & executionis à tertio videtur inchoandum; cum ante omnia vacandum sit affectuũ inordinatorum mortificationi, & cõpositioni hominis externi; tum secundo gradu per exercitationẽ virtutum humilitatis & charitatis, ad tertium denique progrediendum. Nam contemplatio & familiaris cum Deo consuetudo, præmium esse solet antegressæ vitę actiuę, & operũ pietatis. Quam-

quam tres isti gradus vitę purgatiuę, illuminatiuæ ac vnitiuę permixti sunt, & inter se cohærent, mutuamque sibi præstant opem. Eisdem respondent tria aduersus nosmetipsos, proximum, & Deum officia; tres virtutes eximię, singulari semper studio persequendę, Castitatis, Humilitatis, Charitatis. Ex charitate Dei nascitur charitas proximi, hęcque exercita parentem suam auget & perficit.

Dum de prima Sociorum aggregatione narrat Orlandinus, tres præcipuas obseruat S. Ignatij virtutes, quibus velut hamo, capiebat homines. Prima quidem insignis rerum humanarum, & eorum quæ vulgus admiratur, despicientia, cuius vsu exercitationeque nihil tam ardenter optabat, nec tam studebat ex animo, quàm vt infimo sese cuique submitteret. Altera pia quædam in omnes homines vel tenuissimos cum liberalitate coniuncta voluntas, quâ nec sumptui, vbi opus erat, nec labori parcebat. Tertia singularis patientiæ laus, incredibili quadam lenitate permixta, quâ non modò alienis infirmitatibus condolebat; verùm etiam iniurias & offensiones æquorum & iniquorum, aut prudenter scitèque dissimulabat, aut comiter facileque donabat, semper bonum pro malo reddens, ad eos maximè se applicans à quibus esset violatus.

Hæ nimirum solidę sunt virtutes humilitas, mansuetudo, charitas, patientia, lenitas, benignitas

benignitas, liberalitas, miſericordia, magnanimitas, in quas omni nos ſtudio ac contentione cupiebat incumbere, ac in huiuſmodi maius momentum, quàm in doctrina vel aliis naturę donis conſtituere; quòd illa interiora ſint ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propoſitũ, oportet. Verum cum eæ virtutes eximiæ ac diuinæ è cœlo dimanare debeant, nec ſine ſingulari quadam ope diuinæ gratiæ à nobis obtineri queant; à quo ſubſidium potius expectemus, cuius opem impenſius imploremus, quàm tuam, ô B. Pater S. Ignati? qui vitæ nobis religioſæ Dux es & Auctor, idem ſpiritalis Magiſter & inſtitutor, idem ſingularis Patronus ac Præſes, in quo Deus eximium nobis conſtituit præſidium & exemplum. Quam externis hominibus opem ac beneficentiam, in omni genere bonorum, tot illuſtribus miraculis proditam, largiter es impertitus, eam tuis alumnis ac filiis tibi ſupplicibus in ſpiritali profectu, ac virtutum acquiſitione ſuo congruentium inſtituto, non es negaturus. Id igitur abs te contendimus Diſcipuli, Alumni ac Filij, vt germanum Societatis ſpiritum, à clementiſſimo IESV nobis obtineas; ſpiritum mortificationis, orationis, ſpiritum zeli maioris ſemper Dei gloriæ promouendæ & ſalutis animarum procurandæ; ſpiritum humilitatis, caſtitatis, ac charitatis; ſpiritum obedientiæ, patientiæ, fortitudinis, conſtantiæ ac perſeuerantiæ in

ſuſceptis pro Dei gloria, & animarum ſalute laboribus ac perpeſſionibus; donec ex hac militante in terris Societate in regnantem ac triumphantem in cœlis traducamur. Quod S. Leo Pontifex de BB. Apoſtolorum patrocinio confidens; id nos de SS. PP. NN. Ignatij, Xauerij, Borgiæ implorato ſubſidio dicamus: Sicut nos experti ſumus, & noſtri probauere maiores, credimus atque confidimus inter omnes labores iſtius vitæ, ad obtinendam miſericordiam Dei, ſemper nos ſpecialium Patronorum orationibus adiuuandos; vt quantum propriis peccatis deprimimur tantum meritis ac precibus illorum erigamur, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.

CAPVT. XIX.

DE PRÆPOSITIS GENERALIbus Societatis IESV, *Sanctum Ignatium conſecutis*



VOT primo hoc ſæculo Societatis floruerunt excellentes viri pietate imprimis ac ſanctitate, tum omni doctrina, & eruditione, ſacra ac prophana quot præclaris cõmentariis, ſacram ſcripturam, Theologiam vniuerſam, ſpeculatiuam, ſeu

ſeu ſcholaſticam, moralem, poſitiuam, controuerſam de fidei quæſtionibus ipſamque Philoſophicam, Rhetoricam, Grammaticam, variaſque linguas illuſtrarint, non eſt mihi propoſitum dicere; tametſi & hoc fuit eximium diuinæ in Societatem beneficentiæ munus, de quo diuino Numini ſint agendæ gratiæ immortales. De Præpoſitis dumtaxat generalibus attingam breuiſſimè, quod hi ſint parentes noſtri, vere in Domino glorioſi quos laudare nos iubet Eccleſiaſticus; *Eccleſ. 44.11.* quorum honos, laus, & gloria, in nos quoque eorum filios ac nepotes, redundat; quorum documenta & exempla vitæ ac morum, ſingulari nobis ad virtutem eſſe debeant incitamento. Cum S. Benedictus extremum diem obiiſſet, duo Monachi animam eius beatam in cœlum euntem viderunt; pallio ornatam pretioſiſſimo, circum eam fulgentibus lampadibus, & clariſſima & grauiſſima ſpecie virum, ſupra caput ipſius dicentem audiuerunt; hæc eſt via, qua dilectus Domini Benedictus in cœlum aſcendit. Si quis forte requirat quâ viâ cœlum nobis ſit adeundum, quorum nobis veſtigiis inhęrēdum, vt cœlũ teneamus reſponſum do; qua via Beatus Pater S. Ignatius, qua reliqui conſequentes Præpoſiti Generales, tum & alumni & filij omnes, via ſanctæ crucis, mortificationis, & orationis, obſeruationis regularum, ac conſtitutionum, quam viam inſtiterunt omnes anteceſſores noſtri, clariſſimis exemplorum

ac virtutum omnium illustratam lampadibus, aut magis emicantibus stellis radiantem, eâdem nobis esse gradiendum. Habet quodque institutum suas lege, suas ad perfectionem semitas, suas laudes digna consuetudines, ac speciali quodam suo bono gaudet; cuique vocationi respondet certa quædam gratiæ mensura, ac conditio. Qui Societati nomina dedimus, ab ea quam ipsa nobis pręscribit salutis ac perfectionis orbita, ne latum vnguem aberrare debemus, ac maiorum nostrorum, cum ope diuinę gratię, quoad licuerit, proximè premenda sunt vestigia; semper nobis illi cęlestis itineris duces obuersari debent, eorum doctrinæ ac vitę exempla, certissima nobis esse debent morum instituta, ac documenta. Quas B. P. dotes in deligendo Pręposito Generali, requirit tribus §. nuper explicatas, eas omnes veluti lampades ac stellas perquam illustres in consecutis Præpositis Generalibus perspicere est, quæ clarissimè ad perfectionis culmen, & cęleste regnum viam nobis demonstrent. Etenim excelluit in eis deuotio singularis in oratione, & omnibus exercitiis spiritualibus, qua Deo coniunctissimi vitam egerunt, ab eo omnis boni fonte largissimo haurientes gratiam omnem tum ad regimen Societatis, tum ad animarum lucra per suos alumnos comparanda.

Cui deuotioni ac Religioni eorum, tantos Societatis fructus ac progressus adscribere

debemus

debemus. Quod Laynes admirans Societatis incrementa dicebat, complacuit sibi Deus in anima Sancti Ignatii, id nos verè dicemus de anima ipsius P. Laynes, Borgię, Euerardi, Aquauiuæ, Mutij, Deum in ea sibi complacuisse, ac eorum precibus permotum, tantis Societatem incrementis amplificasse. Excelluit & illustris humilitas, & charitas aduersus Deum, aduersus proximos omnes, & ipsam imprimis Societatem: quę virtutes, eos venerandos Societati, Deoque & proximis amabiles reddiderunt.

Denique & excelluit mortificatio omnium affectuum, altissima quies, ac tranquillitas interior, prudentia summa, ac circumspectio verborum, vt nihil esset in eorum omni vita, quod non ad ædificationem tum nostrorum, tum externorum pertineręt. De Malachia Bernardus: ipse Rector, ipse Regula Fratrum; legebant in eius vita quo modo conuersarentur; legem quam aliis imponebat, ipse portabat: id de vnoquoque Generali Præposito verè dixerim, cui & illa conueniunt Epitheta, quę sacra scriptura tribuit Oniæ summo Sacerdoti: *Vir bonus, & benignus, verecundus visu, modestus moribus, & elogio decorus, & qui à puero virtutibus exercitatus sit; manus protendens oransque pro omni populo Iudæorum.* Quæ item Ieremiæ: *Hic est fratrum amator, & populi Israel; hic est qui multùm orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate, Ieremias Propheta Dei*, ad vnumquemque

in eius vita

Præpo-

Prepositum traducere possim. Breuiter qualis Sanctus Ignatius, tales & consequentes Praepositi; Christi Domini, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli in administratione Societatis imitatores, *non dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo*; Typi & exemplaria virtutum omnium honorificauerunt ministerium suum vigilantiâ, zelo animarum, doctrina & exemplis, tum in vita, tum in morte. Sed si placet pauca de singulis delibemus.

1. Petri 5.

Pater Laynez quem sibi successurum preuiderat ac destinarat B. Pater, cum & ipse iaceret ęger, & vehementer emigrare cuperet: nam dicere consuerat: vt quid terram occupo? quâ erat animi demissione, & ardenti in Deum charitate tamen conualuit ac conspirantibus Patrum suffragiis illi suffectus. Parisijs cum abscederent, primus ipse sociorum sarcina librorum oneratus, & cilicio indutus carpebat iter. Dicere consuerat B. Pater; nemini Societatem amplius debere atque obstrictam esse, quàm Patri Laynez. Italia tota celebratissimus fuit, ob doctrinę & sanctitatis opinionem & excellentes conciones quas Romę, Florentię, Venetię, alibique habuit. Parmę & Placentiæ per exercitia spiritualia copiosissimos fructus retulit, cum amplius centum personis ea tradidisset. In expeditione Africana Proregis Siciliæ Vega, charitas eius eximia ad spiritale militum subsidium se prodidit. In Gallia item

cum

cum Apoſtolorum Legatum comitaretur in in colloquio Poſſiaco ad coarguendos hęreticos, confirmandoſque orthodoxos, non parum eius zelus, doctrina, atque eloqentia contulit. Neque paucis dici poteſt quantopere creatus Generalis Societatem promouerit, quot labores ſubierit, quibus exemplis virtutum omnium præluxerit. Delatum non ſemel Epiſcopatum & Cardinalis honorem recuſauit; imo ipſum ſummi Pontificatus apicem cum præter morem in cōſiſtorium diſſidentium Cardinalium eſſet aduocatus, præ omnibus honoribus humilitatis ac religioſi ſui ſtatus amantior. Præcipuè autem in Concilio Tridentino ſupremo Eccleſiæ theatro (ad quod, opinor, ſpectabat B. Pater) excelluit vis eius doctrinę, virtutis ac ſanctitatis: ad Concilium tertiò miſſus eſt ab Apoſtolica Sede, ac tertio conſeſſu, cum eſſet Ordinis Generalis etiam ſuffragij ius obtinuit. Præter egregiè nauatam operam in eximiis illis fidei decretis de iuſtificatione, alijſque dogmatibus illuſtratis effecit, vt de Virginis Deiparę Immaculata Conceptione iuxta Pontif. Xyſti IV. conſtitutiones decerneretur, & perquam honorifica mentio fieret Religionis Clericorum Societatis IESV, ad omnem poſteritatis memoriam. Vt iuſſi erant à S. Ignatio, priuſquam in Patrum Concilij conſeſſum venirent Xenodochiis aliiſque humilitatis exercitiis operam dabant; tum agnitum eſt, ſub vili & ſordido

pallio

pallio latere posse sapientiam, Venerandisque illis Patribus doctrina æque ac virtute fuerunt admirationi, ac mirificè nouam hanc Societatem conciliarunt ac commendarunt.

Obijt Romæ Laynez cum biduum amissa voce, animo in res diuinas intentissimo iacuisset, oculis in ipsa morte continenter in Borgiam blandè & hilariter defixis, quasi Societatem ei commendaret, & in munere Præpositi sibi successurum haud dubius augurare-tur.

Successit igitur Tertius Societatis Præpositus Generalis B. Franciscus Borgia, Dux Gandiæ; abdicato eo principatu Christi crucem amplexus non solùm Societatem primo in ortu humilem & obscuram suo splendore ac generis claritudine nobilitauit; verùm sua administratione propagauit, suis adhortationibus & exemplis ad omnem virtutem excitauit, suaque auctoritate ab oppugnationibus plurimisque incommodis protexit. Omnium heroicarum virtutum eximium fuit exemplar, paupertatis, mortificationis, humilitatis, charitatis aduersus Deum & proximũ ardentissimæ; hoc Præposito variæ missiones in Occidentis Indiam susceptę sunt, & 50. Martyribus duce P. Ignatio Azebedio Societas illustrata est.

Discessit ex vrbe comes à S. Pontif. Pio V. adiunctus Cardinali Alexandrino nepoti in legatione Hispanica, Lusitanica, & Gallica; cumque dies complures Valentię commoratus esset numquam adduci potuit à

Fernando filio, quem Rex honoris causâ legato obuiam miſerat, Gandiam diuerteret, etſi non amplius quam nouem leucarum abeſſet ſpatio. In reditu Orleani, dum in Eccleſia ſemiruta ſacrum facit, in febrim incidit, quę pertinaciter reliquo eum itinere tenuit: dum Laureto Romam properat, à Virgine Matre moriendi viaticum velut accepit, in vrbe cupiens emori, mox. vbi eius mænia ſubiit, canticum *Nunc dimittis ſeruum tuum domine &c.* animo cecinit, gaudens ſe in obſequio Sedis Apoſtolicæ vitam poſuiſſe. Dignus qui ab eadem ſede hactenus Beati, vt mox ſpero, ſancti regnantis in Cœlis publico cultu celebrandi conſequatur honorem: ſed plura non adiicio. Habemus de eius vita & virtutibus P. Ribadeneira & aliorum libros accuratè conſcriptos.

Succeſſit Borgiæ P. Euerardus Mercurianus Belga, Luxemburgenſi:sprudentię, charitatis, humilitatis, modeſtiæ, demiſſionis animi, omniumque virtutum ſpeculũ. Cum eius germanus inaudiſſet illum ad ſummam Præfecturam Societatis euectum, per litteras petiit vt ſibi & cæteris propinquis quorum tenues erant opes, aut verius qui in egeſtate & anguſtiis verſarentur; vellet eſſe ſubſidio; Reſpondit, ſe quidem electum Generalem, ſeruum ſeruorum omniumPatrum Fratrumque Societatis, ſed vno nummo non eſſe ditiorem factum, nec ſibi plus deferri, aut iuris eſſe quàm coquo aut cuiuis adiutori temporali

temporali. Mirificè Societatis fines amplificauit; cōstitutiones earumque summarium euulgauit.

Visitatorem in Indias, Iaponemque P. Valignanum misit; P. Rodolphum Aquauiua ad magnum Mogor, qui post in Salsetana, cum aliis quatuor Martyrij palmâ decoratus est. P. Edmundum Campianum illustrem Martyrem cum P. Roberto Personio, tam frugiferæ missionis duces, in Angliam destinauit; & Anglicano Romæ seminario dedit initium. Denique hoc eodem Preposito in Moschouiam Legatus est à Greg. XIII. P. Posseuinus. Plenus annorum & meritorum excessit è vita cum pridiè predixisset insequēti se die moriturum.

Pater Claudius Aquauiua ducis Atrię filius, Generalis quintus cum inter Cubicularios S. Pontif. Pij V. natus annos 25. degeret, haud dubiè promouendus ad Cardinalatū, vti post eius nepotes quatuor Romæ Cardinales vidimus: cum expendisset illa saluatoris verba, *Oues meæ vocem meam audiunt* spebus omnibus sæculi derelictis, cōstituit Societatē ingredi, ne non esset ex ouibus Christi; quam Societatem annos deinde quatuor & triginta sanctissimè rexit graues inter procellas generosâ quadam animi celsitudine, ac constantia; ac mirificè auxit & illustrauit industriis, epistolis, variisque ordinationibus. Cum electus est in Generalem annos triginta septem natus erat, & 13. exegerat in Socie-

tate

tate; Præpositus Neapolitanæ, mox & Romanę prouincię. De cuius virtutibus multa possim oculatus ipse testis in medium proferre, si libelli huius paterentur angustię. Nunquam non ille visus est Deo coniunctissimus, suauissimo quodam deuotionis affici sensu; etiam tum, cum exortę, vti dixi, complures tempestates, quę cuiusuis alterius trāquillitatem ac pacem interturbassent.

Cúm Clemens VIII. ad Patres quintę Congregationis, eius iussu coactę, verba habuisset, vt quidam tum interpretabantur, in speciem duriora, ac minus beneuola, quibus & Societas reprehendi, (quam tamen Pontifex dextrum Ecclesiæ brachium nuncupauit,) & Aquauiua nonnihil offendi potuisse videbatur, Cardinali cuidam, ea verba lenire cupienti, respōdit Aquauiua: audiuimus Iesum Christum in suo vicario benignissimè nos adhortantem; quę magnanima vox continuò Romę sparsa, multis admirationi fuit. Ab eodem Clemente VIII. delatum sibi Neapolitanum Archiepiscopatum summa contentione precum & lacrymarum, deprecatus est; cùm id vnum sibi votum esse diceret; In Societate mortem obire; in ea, quam ei Deus imposuerat cura, & statione vitā exponere. Igitur animo lęto, & tranquillo excessit è viuis. Cûm quod offerret Deo, nihil se habere diceret, prętet paucula officia atque obsequia Societati tuendę ac regendæ impensa. Ob quæ nihil vereor afferre, quin

&

& ipſe, & eius anteceſſores Præpoſiti audierunt à Domino: *Euge ſerue bone & fidelis; quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Omnibus eius potire bonis, ac fœlicitatibus: & in militante Societate primas obtinuerunt, plurimoſque & grauiſſimos ſubiere labores, ita& in triumphante primas honoris ſedes, Fundatori proximas, acceperunt. *Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens quem conſtituit Dominus ſuus ſuper familiam ſuam,* Iesv Societatem hanc minimam; vt *det illi in tempore tritici menſuram*? Hic fuit Mutius, Aquauiua, Mercurianus, Borgia, Laynez, quorum, ſi nos longo poſt interuallo veſtigiis inhæreamus, ad eiuſdem cæleſtis præmij Societatem attingemus aliquando.

Ad Hæbre. 13. 78. *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem.* Imitamini ſpem, charitatem, obedientiam, patientiam, humilitatem, aſſiduam orandi & cum Deo verſandi conſuetudinem, tum & continuam ſuimet abnegationem, & mortificationem rebus in omnibus; vt & felicem exitum mortalis huius vitæ, & introitum alterius immortalis ac beatæ conſequamini.

Hæbr. 13. 8. Iesvs *Chriſtus heri & hodie; & ipſe in ſæcula.*

P. Iacobus Laynez obijt an. 1565. 19. Ian. ætat. 53. Præpoſituræ. 13.

B. P. Franciſcus Borgia obijt 1572. 28. Sept. ætat. 62. Præpoſit. 7.

P. Euerardus Mercurianus obijt 1579. 1. Auguſt. Præpoſit. 8.

P.

P. Claudius Aquauiua obijt 1614. 30. Ian. ætat. 74. Præposit. 34.

P. Mutius Vitelleschus adhuc superstes Nestorios viuat annos, & Societatem, vti facit, sanctissimè ac felicissimè gubernet, de quo certè quidpiam euulgare, tum meus, tum illius pudor religiosus inhibet, & illud monitum sapientis: *Ante mortem ne laudes hominem quemquam*; sufficiat illi hæc laudatio: *quoniam in filiis suis agnoscitur vir.* *Eccl. 11 30.*

CAPVT XX.

FRAGMENTA QVÆDAM Epistolarum S. M. P. Claudij Aquauiuæ.



HABEMVS insignes Epistolas ab omnibus Præpositis Generalibus conscriptas, quas velut è cœlo missas posteris, suspicere nos oportet, & ipsos quasi coram ad omnem nos perfectionem adhortantes audire, in iis enim ipsi loquuntur, ac tria illa capita paragraphis tribus explicata commendant impensius; orationis ac coniunctionis cum Deo studium; tum virtutum principes & magistras; primam & supremam, humilitatem & charitatem; denique mortificationem; quâ sinistri amputantur, aut certè comprimuntur affectus; quâ pax interior, silentium dis-

cretio

cretio & circumſpectio verborum retinetur; quibus exercitationis ſpiritalis partibus expletis, & cum Deo, & cum proximo, & bene nobiſcum erit, nos ipſos mortificatione paſſionum in officio continebimus, Deóque nos aſtringemus in dies arctiore ac firmiore charitatis nexu: charitas enim vinculum eſt perfectionis virtutes omnes inter ſe & nos cum Deo colligans: ex eo fonte cęterarum virtutum riui dimanāt, & mortificatio & compreſſio affectuum naturę corruptæ vim ſuam habet, faciliſque ac ſuauis euadit: ſed & hęc diligenter exculta virtutis erga nos & proximos officia, mirificè confirmant, & augent orandi ſtudium, & familiarem agendi cum Deo conſuetudinē corroborant atque perficiunt. Verſantur illæ Epiſtolę, numquam ſatis laudandæ, in omnium manibus, atque hic eas deſcribere, irritus foret labor. Patris tamen *S.* M. Claudij Aquauiuæ cuius quoties recordor, quod ſæpe facio, ſuauiſſima velut effigie ac ſpecie coram conſpectâ commoueor, cuius & vocem audire mihi videor, benigniſſimamque frontem, os & oculos, coram intueri; cum eius lego epiſtolas, charitatem ſpirantes. pauca quædam fragmenta decerpere viſum eſt, tenues velut quaſdam ſtillas colligere, ex decem & ſeptem Epiſtolarum copioſis fontibus, quibus Societatem irrigauit ac fœcūdauit: ſi omnia deſcribenda ſint, quæ ad hominis Societatis perfectionem pertinent, iuſtum volumen conficeretur

ficeretur. Prima preclarissima est de fo... progressu Societatis, ad eius moderatores & superiores; secunda de renouatione spiritus, & feruoris communiter ad omnes Patres Fratresque, ex qua commentarius ille D. Basilij interpretantis illa Deuteron. verba ex trãslatione 70. *Attende tibi*; pulchrè nostris hominibus accõmodatur. Habet domus Dei (quæ Ecclesia est) viuentis (verè & dixerim Societas IESV) Venatores, Viatores, Architectos, Ædificatores, Agricolas, Pastores, Athletas, Milites: omnibus conuenit breue hoc verbum, singulis & diligentiam operis & studium propositæ voluntatis indicens. Quæ omnia, inquit Pater Aquauiua, munera & officia in nostræ Societatis homines conuenire videntur. Itaque Basilij oratione, quam propter egregiam in hoc genere doctrinam fusiùs exponendam censeo, & vos hortari possum & quisque vestrûm ea quæ dicuntur attendens incitare.

Tertia eque prolixa & pari studio relegenda sæpius epistola est, de studio perfectionis & charitate fraterna. Vt alia missa faciamus, vna vox illa Redemptoris nostri, *si diligitis me, mandata mea seruate*, cuiusnam pectus non emolliat? ac si dixisset, non pœnas denuntio, pollicitationes meas non inculco, non meorum erga vos meritorum rationes exigo, non pono ob oculos præmiorum amplitudinem; sed illud vnum, si diligitis me, perficite quæ iubeo, Quis tam ferus ac ferreus sit; qui

...nim ipse reputet quis loquatur & quibus ...d verbis commendet, inusitata mentis dulcedine non liquefiat certoque statuat alacri atque erecto animo aggredi quicquid perspexerit, illius aut voluntati gratum aut honorificum maiestati? *hæc est pars mea, & hæreditas mea*, canebat S. Dauid, Idem Rex vates Dauid *os meum aperui, & attraxi spiritum quia mandata tua desiderabam.* Sicut corpus quouis momento frigidiorem auram hauriat oportet ne natiuus calor interclusus extinguatur: Ita multo magis in horas & momenta singula explende Dei voluntatis amore ac desiderio animus recreandus est; hoc illi desiderium loco est respirationis; tradunt sapientes aspirationem oris meatu excipi, ac traiici non solere nisi cum magnum & præsentissimum influentis aëris subsidium vita ne opprimatur, exposcit; quare declarauit S. Vates non sine magno melioris vitę periculo, piam hanc adspirationem, qua sub diuinę ius voluntatis nostram submittimus, intermitti. Sed tota nobis sępius epistola relegenda est. Sequens item ad Præpositos Prouinciales, de conseruatione vocationis, & in virtutibus progressu. Quid cæteras omnes enumerem. Illa tamen pręterir i non debet cuius inscriptio est, de spiritus renouatione & interioris hominis reformatione, quæ ad omnes communiter pertinet, ex qua illud D. Bernard. magnopere mihi semper arrisit: si Deum amas Anima ex ipso viuit, vti corpus ex ipsa; quo

pacto

pacto quæso, præsentior esse contendi... *de præscr. dispens.*
vbi dat (id est corpori) quam vbi accipit
vitam (id est Deo?) fons quidem vitæ charitas est, nec viuere animam dixerim, quę de illo non hauserit haurire porro quomodo potest, nisi fuerit pręsens ipsi fonti, quæ charitas est, quę Deus est; presens igitur Deo est qui Deum amat, in quantum amat; in quo enim minus amat, absens profecto est: *omni* *Prou. 4. 23.*
custodia serua cor tuum quia ex ipso vita procedit. Ad finem epistolæ pręclara est & illa cohortatio *S.* Ambrosij: Athletę sumus, legitimè certandum est; ante brauium, cõtenditur ad coronam; postea numquid Athleta otio vacat? cum semel dederit certamini nomẽ suum, exercetur quotidie, vngitur quotidie, ipse cibus ei agonosticus datur, disciplina exigitur, castimonia custoditur; & tu dedisti nomen tuum ad agonem Christi, subscripsisti ad competitionem coronę; meditare, exercere, vngere oleo lętitiæ, oleo exinanito IESV, de *1. Cor.*
quo; *oleum effusum nomen tuum. Et illi quidem* *9. 25.*
vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Concludam cum eodem S. Patre Aquauiua, ex antecedente epistola, de conseruatione vocationis. Reliquam est vt omnes auscultemus matrem nostram, quę nos ijs vocibus appellat, quę cuiusuis pectus commouere queant quib⁹ S. Machab. mater filiũ animabat: *fili mi miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam produxi;* misericordia

 ricordia

…rdia autem quam ipsa à suis precabatur,
2 illa erat, vt ille viriliter in certamine se gere-
Machab. 7. ret, vnde infert: & *dignus fratribus tuis effectus*
27.
v. 25. *suscipe mortem, vt in illa miseratione cum fratri-
bus tuis te recipiam*: Iam verò eo maioribus & ardentioribus vocibus hortatur nos Societas, nostra mater, quę pluribus, maioribusque laboribus ac vigiliis, nec inferiore charitate nos genuit, lactauit, atque educauit in Christo. Quod illa à nobis postulat, hoc est, vt non solum ipsi viriliter ac fortiter in hoc prętio dimicemus; sed alios etiam fratres nostros, filios suos, ad idem certamen animemus, & dirigamus, quò aliquando vna cum iis & aliis fratribus nostris maioribus, primis Societatis Patribus, qui fortissimum hoc certamen cum plurimorum fructu & salute sustinuerunt, gloriosos in cœlo tandem excipiat. Hactenus P. Aquauiua: sanè cùm vna eademque sit Societas Iesv militans in terris, & in cœlis triumphans, quosdam filios habet pia mater, tum perfunctos officio, & gloriosè triumphantes in cęlesti regno, sponsi & Regis sui gloria perfruentes: alios in discrimine versantes, in acie & dimicatione laborantes; ęquissimum est his pręcipuè compatiatur & adlaboret, vt & ipsi fœlicem exitum consequantur, & ad eamdem æternitatis beatę metam tandem attingant. Tantò eius postulatio iustior est, quàm matris Machabeorum; quantò pretiosior illa gratię vita, quam nobis inspirauit, quàm naturę: quantò Animus corpori, ęternitas, tempori pręcel-

lit: quantò ad illam vitam gratię, plus illa contulit operæ, laboris, diligentiæ, & induſtriæ, non rectè enim hæc dixerit: *neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis neq; enim ego ſpiritum & animam donaui vobis, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi:* nam quicquid in nobis eſt ſpiritus gratiæ, hunc illa ſuis precibus impetrauit & impertiuit, & vitam & animam charitatis inſpirauit; neque nouem duntaxat menſes vtero materno circumtulit; ſed triennio probationis, ac compluribus deinceps annis ad omnem virtutem ac pietatem efformauit, litteris inſtruxit, diſciplinis ſacris erudiit, ac patientiſſimè torpentes, ne dicam, reluctantes, in hac perfectionis inſtitutione tolerauit. Quam à nobis illa miſericordiam exigit, niſi vt ipſi nobis minimè deſimus, ne à cæterorum fratrum generoſitate, conſtantia & animi fortitudine deficiamus; ne culpâ noſtrâ dignitas eius ac ſplendor obſoleſcat, quo ad plurimorum eget ſalutem; ne bonus odor integritatis ac ſanctimoniæ, quo plurimos ad Chriſtum trahit, obtundatur, & euaneſcat; ne ipſi quod à Chriſto talentum accepimus malè defodiamus inutileque reddamus, ſed pro ratione vocationis quam plurimos Chriſto lucrifacere ſtudeamus: digni ſimus tanta Societate filij, & alumni, digni & vtiles operarij; quos in triumphantem aliquando Societatem Dominus IESVS traducat: hoc votum noſtrum totiuſque Societatis Clementiſſime IESV, per S. Ignatium ſeruum


2. Machab. 7. 22.

seruum tuum, per consequentes Præpositos, per omnes tecum in cœlis regnantes socios fratres nostros filios tuos benignus exaudi. In tua hac militia constantiam ac perseuerantiam tribue & de peccatis hostibusque nostris, cum plurimorum salute, victoriam: Te Sanctissima Mater tua, cuius in tutela ac Patrocinio semper fuit, est eritque, tua hæc Societas, exorat te vniuersa, cui tuum nomen IESV præfigi voluisti, vt Societas minimè, ambigeret, quidquid in hoc sacro tuo nomine flagitaret ab æterno Patre, id se tuis meritis obtenturam. Domine, quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ: bis quoque filius ācillæ, Societatis & Sanctissimæ V. Matris tuæ, quam communem nobis matrem esse voluisti. Per eam igitur nos exaudi: esto nobis IESV, propitius Saluator.

CAPVT XXI.

EPILOGVS ADHOTATIO AD Jubilandum, & gratias SS. Trinitati referendas.

epist. ad Petr. Ribad.



RÆclarum illud est Ludouici Granatensis de S. P. Ignatio testimoniū, Nouum fuisse speculum virtutis & prudentiæ, datum à Deo ad animarum infinitarum salutem. Si B. Pater, auctore Deo, Societa-

Societatem hanc ingeniis ac moribus nostris accommodatam non instituisset, optimisque legibus & institutis stabiliuisset; magna sanè pars nostrorum qui in ea Religiosam vitam ducimus, proximorũq; saluti damus operã in alia omnia viuẽdi genera abiissemus; in vitiorũ verosimiliter præcipitia, & ab hoc quod tenemus virtutis itinere, prorsus aliena diuertissemus mala. Multæ item hominum myriades, quibus homines Societatis, prædicatione diuini verbi, & Sacramentorum administratione, salutem Deo propitio contulerunt conferuntque, forsam in errorum & ignorantiæ tenebris, peccatorumque fæcibus hæsissent miserè defixi, ac malè omnino perissent exclusi a regno celesti, beataque vita; in Orcum damnandi ac relegandi. Quamobrem & illis, & nobis per S. Ignatium, cui secundũ Deum adscribenda nostra salus, agendæ sunt Deo Opt. Max. gratiæ immortales, & hoc anno primo sæculari ex intimis animi sensibus iubilandum. Non me latet, non vnã fuisse Deo nos saluandi rationem, ac viam; potuisse, licet Ignatius hanc religionem non instituisset, per alia instituta, aliaque oportuna subsidia nobis ac cæteris proximis salutem adferre. Nam quis infinitæ Dei sapientiæ, potentiæ, ac bonitati certos limites præscribat? Et hanc Societatem Deus per alium, quàm per S. Ignatium, auctorem instituere potuit. Verùm id modò cõstat hoc potissimum administro, organo, & instrumento ad nostram plurimorumque

rumque

rumque salutẽ, Deum vti voluisse, & in quàm plurimos mortales per Societatis filios, prædicatione cœlestis doctrinę, & vsu Sacramẽtorum, rędẽptionis suæ fructum copiosè deriuasse. Quare ad agẽdas diuino Numini gratias, ac iubilandum cum vniuersa Societate iure merito prouocantur. Igitur *Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius*; Augustissimo Iesv, cuius auspiciis instituta ac planè deuota Societas, in suam & proximorũ salutem toto terrarũ orbe desudat. *Date gloriã laudi eius: dicite Deo, quã terribilia sunt opera tua!* terribilia admiranda, suspicienda in hominũ salute procuranda, gentilium conuersione, Orthodoxorũ promotione: *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* Fateantur opportet hæretici & infideles diuinam in hac condenda & excitanda Societate potẽtiam & manũ extitisse: Omnis terra *adoret te & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo. Venite, & videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominũ:* dum abdicato Luthero tot animarum peste, qui tot myriadas hominum post se traxit in orcum; Ignatium nouæ Societatis ac cohortis præsidiariæ Ducem in plurimorũ salutem suscitauit. Cum S. Ignatiũ à cælesti Patre cõmendatum Filio Saluatori, & hunc illi se Romæ propitium futurum spopondisse memini; non solùm Ignatium, sed & nos omnes in parente nostro comprehensos, impensiùs saluatori cõmẽdatos esse meditor, & à benignissimo Iesv in specialẽ tutelã ac singulare patrocinium

Psal. 65. 1.

cinium

nium esse receptos. Ac quoties postremâ Saluatoris à Cœna & instituta Eucharistia precationem ad Deum Patrem recolo, quæ plenissima est suauitatis ac lætitiæ spiritalis, in Apostolis tum presentibus, & post futuros aliquando viros Apostolicos, Sacerdotesque quos Christus Dominus in mentis habebat prospectu, in iisque Patres Societatis cōprehensos fuisse non dubito, ac qua possum animi submissione ac cōtentione supplex à Saluatore contendo, vt eius orationis fructum eximium, ad nos pertinere velit, ac deriuare; cùm expressè dixerit: *Non pro eis rogo tantùm; sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Ioan. 17. 20. Quid nobis omnino fortunatius? si pro nobis precatus est Dominus Patrem proximâ passione & morte ad eum abiturus; quid timeamus? si in eorum numero sumus, de quibus aiebat. *Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo: sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos a malo.* v. 6. 9. a peccato, a Cacodæmone. *De mundo non sunt: sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum; & ego misi eos in mundum. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: vt dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, & ego in ipsis.* Amen, Amen: simus templum dilectionis increatę, Spiritus Sancti, ac totius Augustissimæ Trinitatis. *Non fecit taliter omni nationi, &*

indicia

Psa 46. *indicia sua non manifestauit eis.* Igitur
1. *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in vo-*
2. *ce exultationis:* caniteChristo victori in Cœlos
ascendenti epinicium, de subactis Euangelio
omnium nationum hominibus. *Quoniam Do-*
minus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem
terram: prodigiosa edens miracula. *Subiecit*
3. *populos nobis, & gentes sub pedibus nostris. Elegit*
nobis; per nos; *hæreditatem suam, speciem Iacob*
quam dilexit. Pulcherimam sibi Societatem
elegit hominum non absimilium Iacob, qui
minimè mali forent, simplices, sinceri, vitio-
rum supplantatores.

Psa. 65 *Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius.* Cuius gaudij ac voti participes omnes esse cupimus, qui in sua salute paranda Societatis vtuntur opera, ab eiusque filiis diuini verbi & Sacramentorum pabulo reficiuntur. Ergo illi nobiscum intonent sanctissimum ac lętissimumAlleluia; qui titulus psalmo 104. præfigitur vsque ad psalmum 145. qui sunt omnes lætitiæ psalmi, lętis temporibus can- (epist. ad Casul. & in Ps. 106.) tari soliti, in Paschate ab Apostolico sæculo, vt testis est Augustinus, & ipse victor de persecutione Vandalica vocat Alleluiacum melos. Hieronymus, carmen musicum Rusticorum; quare iubilantibus accommodatissimum. Ergo Alleluia.

Psal. 104. *Confitemini Domino & inuocate nomen eius*
1. (Iesv sacratissimum nomen) *annuntiate inter*
2. *gentes opera eius. Cantate ei & psallite ei; narrate*
omnia mirabilia eius. Laudamini in nomine sancto

eius

eius: lætetur cor quærentium Dominum. Quærite 3.
Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius 4.
semper. Exultate & magnum gerite animum,
gloriantes quod vocamini Christiani, quod
de IESV estis Societate. Adijci possunt quæ
sequuntur; sed iterum

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam Psal.
in sæculum misericordia eius; quam certè exper- 105.
tum est cumulatè primum hoc sæculum So- 1.
cietatis *Quis loquetur potentias Domini? auditas* 2.
faciet omnes laudes eius? Beati qui custodiunt iudi- 3.
cium & faciunt iustitiam in omni tempore. Me- 4.
mento nostri Domine, IESV, *in beneplacito popu-*
li tui, visita nos in salutari tuo. Beneuolum te
nobis prębeas, sicut soles populo tuo electo:
complaceat tibi in hac Societate; visita illam
per te ipsum, qui vnica eius es salus. *Ad vi-*
dendum in bonitate electorum tuorum, ad lætan- 5.
dum in lætitia gentis tuæ: vt lauderis cum hæredi-
tate tua. Denique concludit. Saluos nos fac, 47.
Domine Deus noster, & congrega nos *de na-* 48.
tionibus in cœlestem Societatem: *vt confitea-*
mur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua.
Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo & vsque
in sæculum: & dicet omnis populus, Fiat, fiat.
Amen, Amen. Si velim obuios quosque psal-
mos complures accommodare, nullus sit
finis; vnum dumtaxat breuissimum adiiciam.

Laudate Dominum omnes gentes; laudate eum
omnes populi. Quoniam confirmata est super nos
misericordia eius: & veritas Domini manet in æ-
ternum. Quem nullo non die frequenter

vsurpamus. Quem Martyres Iaponenses vel ligatos ad cruces suas, vel ad palos dum ignis succendebatur alternis choris solitos ingeminare, legimus. Vos gentes babaræ in extremis oris ac finibus Mundi collocatę; quas Euangelij luce Societas illustrauit; quas ad Christi fidem religionéque perduxit. Vos populi cultiores Europęi, pridē Christiani, quibus & suam operam Societas impendit, laudate Dominum Iesum; quoniam confirmata est, largiter effusa, véhementer aucta super nos misericordia eius, tot eximiis testata beneficiis: & veritas Domini, quæ fidelissimè promissa sua cōplet, manet in æternum, æternæ vitę ac beatitudini reseruatur. Igitur, gloria Patri, & Filio, & Spiritui. S. Benedicta sit SS. Trinitas, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Vos appello Prouinciæ omnes Societatis toto orbe dispersæ; adeste: si possim, ipsos Templorum ac Domiciliorum parietes lętitiā gestientes mecum hîc exhibere velim. Adeste vos Prouinciæ omnes, ac communem hanc lætitiam gratulationéque Christo Domino, tot bonorum nobis auctori, deferte. Vos Italicę Prouinciæ; Romana, Neapolitana, Sicula vtraque, Mediolanensis, Veneta: Vos Lusitanæ; Goana, Malabarica, Iaponica, Chinēsis, Brasiliana: Vos Hispanicæ; Toletana, Castellana, Aragonensis, Bętica, Sardiniæ, Peruana, Chilensis, noui regni Granatensis, Paraquariæ, Mexicana, Philippinarū: Vos Gallicæ; Franciæ, Aquitaniæ, Lugdunensis,

nensis, Tolosana, Campaniæ: Vos Germaniæ; Rheni superioris ac inferioris, Austriæ, Bohemiæ Belgica vtraque; Polonica, Lituanica; Anglicana Adeste; & hũc primum institutę Societatis annum sęcularem iubileum qua par est hilaritate ac deuotione mentis concelebrate, Agite gratias Deo imprimis omnium bonorum auctori ac largitori munificentissimo Christo Domino, cuius in Societatē summo eius beneficio adlecti sumus, qui nos in ea sustentat, fouet, ac promouet, ad omnem sanctitatem huius vitæ, & alterius deinde sempiternam, vt speramus, fœlicitatem, cumplurimis mortalibus ad eandem adiutis aduocaturus est: tum & SS. V. Matri cuius in patrocinio ac tutela semper extitit eritq; societas, illi deuota ac consecrata, denique & B. P. S. Ignatio quo Saluator in ea Societate congreganda ac cõstituenda vti voluit administro. Quibusdam in monasteriis olim interdiu ac noctu, diuinę laudes decantabantur alternis sibi succedentibus choris, cum esset in iis ingens monachorum multitudo supra 600. vt in Becoriensi Hiberniæ, Luxouiensi Burgũdię, Lyrinensi S. Mauritij in Calolais, & aliis, eaque laus perennis dicebatur. Societas variis distincta domiciliis, totũ terrarum orbem complexa est; sibique intimè consona, ac cohęrens, ita diuinas laudes celebrat, vt nulla sit hora, nullum diei noctisue spatium, quo non augustissimum Missę sacrificium Sanctissimę offerat Trinitati, quo non

in

in aliquo domicilio pars aliqua ſociorum, in preces, Dei laudes & gratiarum actiones incumbat; nam quando nobis ſol occidit, antipodibus noſtris exoritur, in altero Patres Fratreſque hemiſpherio orationi ac ſacrificiò dant operam: Cum nos quieti indulgemus, illi vacant orationi, ac vice verſa Quam rem edita nuper in Germania. Tabula geographica pulchè demonſtrat, diuerſas orbe toto ad Orientem & Occidentem, ad vtrumque polum meridiem Septrionẽque Societatis prouincias ac ſedes deſignans; Ita ab ortu ſolis ad occaſum, ab Auſtro ad Aquilonẽ laudabitur Iesv nomen, ab eius Societate quam ſuo cultui atque honori conſecrauit; Id igitur agamus, noſtris partibus, non deſimus, ſed preſcriptis horis cum noſtre erunt orandi ac ſacrificandi vices, tanto nos feruentius impendamus quãto mox alios charitate feruentiores ſucceſſuros exiſtimamus. Ergo quotquot de Societate ſumus proni, ac ſupplices adoramus te ô Beata Trinitas Pater, Fili, ac Spiritus s. de hac per famulum tuum ſanctum Ignatium primoſque eius comites condita ſocietate, quas cogitatione maximas capere poſſumus gratias agimus, ac tuo nos deuouemus ac mancipamus obſequio. Tui ſumus abs te electi, vocati & hactenus in hoc vitę inſtituto conſeruati, gratias tibi O Pater cæleſtis, quod hanc ſocietatem filio tuo Saluatori cõmendare dignatus gratias ô fili ſaluator, quod eam in tuũ patrocinium ſuſcepiſti,

ſti, neque modo Romæ, ſed toto terrarũ orbe propitius illi benigniſſimus ac potentiſſimus patronus extitiſtit gratias tibi o Spiritus ſanĉte Deus, vnus cum patre & filio, quod eã congregationem tuis muneribus auxiſti, & ornaſti, charitate imprimis atque vnione ſociorum inter ſe, quæ tua dona porro ſemper adauge; & conſerua. Gratias tibi iterum ô Clemẽtiſſime Saluator Deus homo, quo hãc extremis temporibus cohortẽ præſidiariam, Eccleſię prouidiſti, ſub tui nominis auſpiciis, crucisque vexillo collegiſti & in aciem pro fidei defenſione ac propagatione, & in extremas eius oras deduxiſti. Sed & tibi SS. Virgo Mater Maria cui iure merito hæc deuota & conſecrata eſt Societas, in quam tot tua tam eximia extant beneficia maternę, & plúſquam maternæ pietatis & beneuolẽtiæ monumẽta, socij omnes gratias infinitas referimus. Tibi Sãcte Pater Ignati dux ac fundator noſter, Tibi Franciſce Xaueri qui primas in Indiã, Iaponiãque ſocietatẽ intuliſti, gratulamur ac gratias agimus, ſociosque adhuc militantes in terris cõmẽdamus. Quidni & ceteros iam triumphantes in cœlis ſocios appellẽ, atque inuocem, quorũ alij inter Apoſtolicos viros gradũ obtinẽt; Alii martyribus illúſtribus accẽſentur, Alii confeſſoribus annumerãtur, doĉtoribus ac Ponficibus; Denique ſexus vtriuſque Virgines illibatas, hic ſocietatis inſtitutum, & illic Agnum conſequentes quocumque ierit, quid ni inquam omnes omnino ſocietatis in cœlis appellem.

vti porro pergãt,pro hac altera ſui parte adhuc in terris dimicante ac periclitante Deo ſupplices,laudes & actiones gratiarum offerre,ſua nos Deus gratia dignetur in hoc inſtituto vitæ ſemper tueri ſolari,fulcire, confirmare, ac perſeuerantię munere donarę, dum illis in cæleſtis glorię regno ſempiternum ſociemur. Amen.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco
Pſ. 22. *paſcuæ ibi me collocauit &c.*
Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus
8. *diebus vitæ meæ*
Et vt inhabitem in domo Domini in longitudi-
9. *nem dierum.*

Ad maiorem Dei gloriam, SS. V. Mariæ, SS. Ignatij, Xauerij, Borgiæ, cæterorũ Societ. honorem.

SVMMA PRIVILEGII.

EGo infra ſcriptus Societatis Iesv in Gallo-belgica Prouincialis iuxta Priuilegium eidem Societati conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimãt,facultaté do Bartholomeo Bardou Typographo Duacenſi vt librum cui titulus eſt De Ivbileo Societatis IESV ab ea condita anno ſæculari M. DCXL. liber Parąeneticus Auctore R. P. Ioãne Borgheſio dictę Societatis ad ſex annos proximos imprimere & libere diſtrahere poſſit. Datum Inſulis 2. Septemb. 1640.

Florentius de Montmorency.

APPROBATIO.

Liber hic parænecticus de Iubileo Societatis IESV Authore R. P. IOANNE BOVRGHESIO eiusdem Societatis, nihil continet fidei orthodoxæ contrarium, sed plenus est pietatis zelo, & ad formandos mores Christianos vtilis, adeoque prælo committi potest vt omnium manibus teratur Actum Duaci 19. Septemb. 1640.

Theodorus Van Couuerden S. Theol. Doctor, eiusdemque Reg. ac Ordinarius Professor, insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Canonicus.

Absentiæ Auctoris adscribenda hæc errata.

Pag. 11. Beatori lege Creatori.
20. omnis cui. l. omnis enim. 58. ducouerunt l. deuouerunt 67. sæpius l. se prius. 69. sed &. l. S. Tho. 45. otbis l. orbis. 90. gemio l. gremio. 95. apotechæ l. apothecę. 103. suscipientur, susciperentur. 110. adea l. ad ea. 111. ocietatis l. Societatis. 119. capescendæ l. capessendæ.



7-2-2